



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

VI. De eâdem circumstantia, Quid, provt se tenet ex parte personæ, ad
quam terminatur peccatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

tamen non est propriè Apostasia: quia haereticus etiam qui numquam suscepit fidem Catholicam, sed baptizatus est in haeresi, adhuc per baptismum contraxit illam subiectionem, & debitum obedientiae respectu Ecclesiae, contra quod debitum peccat subtrahendo se per haeresim à subiectione debita Ecclesiae, & tamen ille, dum perseverat in haeresi, non est Apostata. Deinde tota illa malitia, quaecumque illa sit, non est necesse, quod explicetur: nam eo ipso quod poenitens accusat se, quod incidit in Calvinismum, aut Iudaismum, verbi gratia, explicat, quod peccaverit contra debitum obedientiae, & subiectionis respectu Ecclesiae. Cum enim peccatum infidelitatis non possit esse materia Sacramenti Poenitentiae, nisi sit commissum post baptismum eo ipso, quod in hoc Sacramento se accusat de illo peccato, explicat, id factum fuisse post baptismum, atque adeo violasse obligationem, quam ex baptismo habebat non subtrahendi se ab obedientia, & iurisdictione Ecclesiae.

296.

Aliiter probat Castro Palao illam diversitatem specificam ex Apostasia provenientem: fatetur enim non esse malitiam specificam infidelitatis, sed dicit esse contra religionem propter irreverentiam, & injuriam specialem, quae videtur irrogari fidei per baptismum susceptae, eam deserendo. Sed neque hoc probat esse explicandam eam circumstantiam: quia vel illa irreverentia specialis consistit in hoc, quod fides semel suscepta ut vera, postea reiiciatur, per quam repulsam videtur dehonoriari, & contemni plasmam, si nunquam fuisset recepta. Et hoc quidem fa-teor addere aliquam gravitatem in illo peccato, sed non diversitatem specificam. Sicut neque in aliis virtutibus: non enim differt specie intemperantia illius, qui seridè virtutem temperantiae amplexus fuerat, ab intemperantia alterius, qui semper fuit intemperans, & sic de aliis. Vel consistit illa specialis irreverentia in eo quod baptismus ipse afferat peculiarem titulum colendi fidem illam, cuius professio implicita est in baptismo: ut neque ex hoc capite videtur explicanda, quia si revera datur talis specialis obligatio, sufficienter explicatur tota illa malitia, ut dicebamus eo ipso quod homo baptizatus se accusat de peccato contra fidem, seu de fide negata: nam eo ipso supponit peccatum illud fuisse commissum post baptismum, & post totam obligationem ex baptismo provenientem. Restat ergo, ut si semel explicetur infidelitas, & qualitas sectae, quam amplexus est propter peccata specialia, quae singulae sectae continent, ut supra dixi, non sit necessarium explicanda circumstantia Apostasia iuxta sententiam negantem obligationem explicandi circumstantias aggravantes intra eandem speciem.

SECTIO VI.

De eadem circumstantia Quid: propterea tenet ex parte personae, ad quam terminatur peccatum.

297.

Sub hoc etiam titulo multa dubia practica continentur, quae breviter attingemus, & quidem regula generalis est, tunc circumstantiam personae, cum qua peccatur, vel ad quam peccatum terminatur, explicandam esse, quando refundit malitiam specie diversam, ut si percussio sit personae sacrae, explicanda est ea circumstantia, quia affert novam, & diversam speciem sacrilegij. Nunc dicemus de aliquibus personarum conditionibus de quibus magis potest dubitari, an afferant malitiam specie diversam.

§. I. An coniunctio personae sit declaranda in odio, vel iniuria?

Communiter Doctores dicunt odium patrem habere malitiam specialem necessarium explicandam in confessione. Navarrus in *Manuali*. 14. n. 11. Sà, verbo *confessio*. n. 23. Azor tom. 2. lib. 2. cap. 2. quæst. 2. quia alios plures refert. Aliqui universaliter hoc extendunt ad injuriam in parentem. Ita Bonacina de *penit. disp. 5. quæst. 5. sect. 2. par. 2. §. 3. diff. 3. num. 15.* & in peccato detractationis id expressè tenet Sotus in 4. diff. 18. quæst. 2. art. 5. *column. antepenult.* Quidam etiam id extendunt ad peccatum contra Principem, vel superiorem. Ita Bonacina *loco citato*: ubi cum aliis id extendit ad injuriam, quae fit Sacerdoti contra peculiarem reverentiam, quae illi debetur: sed tamen si illata sit viro nobili, vel cognato, vel benefactori: hæc enim non videtur afferre malitiam specie diversam. Alij tamen id etiam dicunt habere locum, quando iniuria fit contra insignem benefactorem. Ita Caiet. apud Sà *loco citato*. 14. Hæc ipsæ non reprobat. Alij dicunt, non omnem injuriam, detractationem, vel odium in parentes habere circumstantiam gravem necessarium explicandam, licet sit peccatum mortale. Ita Corduba in *summa quæst. 14.* Hæc ipsam apud Auctores habentur de hac circumstantia.

Ego puto non posse in hoc puncto dari unam regulam universalem: aliquando enim circumstantia personae coniunctae, contra quam peccatur, explicanda erit, aliquando non erit: quod quidem pendet ex qualitate offensae, & ex gradu coniunctionis. Unde si parentes à filio percutiuntur, si occiduntur, si afficiuntur contumeliis, si infamantur: peccata illa habent procul dubio circumstantiam specialem contra pietatem, amorem, & reverentiam parentibus debitam, quae graviter læduntur per huiusmodi peccata. Ex hoc tamen non fit, quod omnis iniuria gravis quae fit contra patrem, habeat illam aliam malitiam specificam contra pietatem, & debeat in confessione explicari. Nam si filius furatur patri id, quod sufficit ad peccatum mortale furti contra iustitiam, non semper peccat graviter contra pietatem, aut tenetur eam circumstantiam explicare, sed sufficit, quod se accuset de furto gravi, observavit Molina 1. tom. de *iustit. disp. 7. circa finem*; quia licet furtum illud opponatur graviter contra iustitiam, & contra id, quod iustitia intendit, nempe quod unusquisque habeat, quod suum est: non tamen opponitur graviter contra id, quod pietas & reverentia contra patrem exigit. Rationem autem à priori huius differentiae explicari latè in *tratu de iustitia & iure*, ad quem locum spectat fusior explicatio huius doctrinae. Quia scilicet illud solum est graviter contra pietatem, quod secundum se graviter lædit bonum, quod filius procurare, & desiderare debet parentibus; quale est bonum vitæ, salutis, incolumitatis, honoris, existimationis: non est autem tale malum, quod patitur pater ex ablatione alienius pecunie: nam licet illud graviter prohibeatur à iustitia, id tamen non est præcisè propter illud malum in se consideratum, sed propter damnum, quod pateretur pater, si singuli possent illi auferre illam summam pecunie, ad hoc enim vitandū oportuit illicitam reddi ablationem talis summae. Hoc autem damnum grave non sequitur ex eo, quod filius illicitè auferat illam summam; ex hoc enim non sequitur, quod multi similem quantitatem possint auferre, cum nec filius ipse licet, & sine peccato accipiat, sed contra iustitiam, & cum obligatione restituendi. Non ergo opponitur gravi-

ter amor debito illud damnum non impedire, adhuc enim stat amor filij erga patrem, cui illud damnum infert, quia videt patrem non pati graue damnum ex acceptatione illicita.

Hinc infero primò aliud esse dicendum in peccato detractionis grauis: per illam enim non solum arguitur, & consequenter, sed absolute, & immediate læditur grauius pater in bona existimatione, atque idè non stat amor debitus filij erga patrem cuius existimationem bonam non solum non procurat, sed posituè destruit: quare in eiusmodi peccato semper videtur explicanda ea circumstantia, prout dicebat Sotus loco citato.

Infero secundò aliquod posse esse furtum filij, per quod non solum arguitur, sed etiam immediate inferatur adeo graue damnum patri, vt opponatur grauius, non solum contra iustitiam, sed etiam contra pietatem, & cum quo non possit stare amor debitus filij erga patrem, atque ideo tunc explicanda etiam esset circumstantia illa contra pietatem, licet in alijs furtis minoribus non esset explicanda.

Dices, cur non poterit hoc ipsum reperiri in peccato detractionis, vt per aliquam detractionem auferatur fama patris grauius solum contra iustitiam, quatenus illa læsio famæ prohibetur præcepto iustitiæ, non propter malum graue, quod affert in se immediate, sed propter damnum graue, quod affert, si non prohiberetur grauius talis læsio famæ, & omnes possent tantam læsionem ponere absque graui peccato, sicut diximus de læsione in pecunia? Responderetur rationem desumi ex diuersa conditione vtriusque boni: nam multiplicatio damni, quæ sequeretur in pecunia, ex eo, quod esset licita acceptio vnius aurei, v. g. facile perueniret ad graue admodum detrimentum in fortunis, quia illa læsiones vniuntur facile ad conficiendam summam talem, cuius iactura affert maximam damnum: at verò læsiones in fama, quarum singule in seipsis non affertent graue detrimentum absolutum, & immediatum, non facile vniuntur, vt consent vnam infamiam notabilem, vt experientia constat, quod idem est in læsione honoris, sicut & in læsionibus contra corporis, & sanitatis bonum: adeo in iis generibus bonorum, illa solum censetur læsio grauis contra iustitiam, quæ de se, & immediate affert absolutum, & graue detrimentum: vnde quoties in iis peccatur grauius contra iustitiam, peccatur etiam grauius contra pietatem, & oportet eam circumstantiam explicare.

Infero tertio in peccatis odij à fortiori explicandam esse eam circumstantiam, quod sint contra parentes: hæc enim sunt magis directè contra amorem parentibus debitum, nec possunt vilo modo stare cum eiusmodi affectu amoris. Imò licet filius non desideret malum patris ex proprio affectu odij quia malum patris est, sed vt ipse filius, v. g. habere possit maiorem libertatem, & facultatem peccandi: adhuc explicanda esset circumstantia illa: quia adhuc opponitur affectui amoris, quem patri debebat filius.

Infero quartò idem ferè dicendum esse in peccatis parentum contra filios: nam licet maius sit debitum filij erga patrem, quàm patris erga filium, adhuc tanta est coniunctio, & obligatio, quam pater habet procurandi bonum filij, vt negari non possit specialis turpitudine in eiusmodi peccatis. Est tamen discriminem in hoc, quod facilius peccat mortaliter filius in patrem, quàm pater in filium: quia percussio, vel contumelia quæ in filio esset grauis contra patrem, eadem in patre contra filium, vel non est peccatum, vel leue propter auctoritatem

paternam, & potestatem corrigendi, ac reprehendendi: hæc tamen est differentia materialis, formaliter enim fere eiusdem conditionis sunt in hoc, quod offensa grauis vnius in alterum afferat nouam malitiam specificam propter peculiarem illam coniunctionem.

Infero quintò eandem ferè esse rationem de auo, proauo, & quolibet ascendente respectu nepotis, pronepotis, & cuiuslibet descendens, & è contra: nam hi omnes considerantur, quasi patres, & filij, vnde parricidij poena non solum filium, qui patrem, & patrem, qui filium occidit, sed eiusmodi ascendentes, & descendentes omnes comprehendit in l. unica, Cod. de his, qui parentes, vel liberos occiderunt, & in §. Alia deinde lex. Insit. de public. indic. sicut propter eandem coniunctionem iure ipso naturæ reperitur impedimentum irritans matrimonium inter eiusmodi personas.

Infero sextò propter similem ferè coniunctionem debere eandem rationem esse de peccatis vxoris contra virum, aut viri contra vxorem; nam licet in dilectione præferendus sit pater vxori, vxor tamen præferenda est filiis, vt cum alijs probat P. Coninch. disput. 25. de charitate, dub. 9. num. 149. Vnde poena parricidij extensa fuit ad occidentem vxorem propriam, aut proprium virum in l. prima. ff. ad leg. Pomp. de parric. & ita in praxi obseruari testatur Molina tom. 4. de iust. tract. 3. disp. 26. num. 5.

Infero septimò, quid dicendum sit de peccatis fratris contra fratrem, aut contra sororem carnalem inter eos enim videtur quidem esse magna quædam coniunctio, sed non quanta inter parentes, & filios, vel inter coniuges: atque ideo videntur habere statum medium inter parentes, & extraneos: vnde necessitas illa patris, quæ obligat filium, ne ingrediatur religionem, non sufficit respectu fratris, sed requiritur maior, vt docet Sanchez lib. 4. in 4. decalog. cap. 20. num. 29. & seqq. cum alijs, quos affert Bonacina disp. 6. de præceptis decalogi quasi. vnic. punct. 5. n. 4. contra aliquos, qui dicunt, etiam in graui necessitate fratrum, vel sororum non posse religionem ingredi. Hinc ergo consequenter dicendum videtur, in peccatis contra fratris non sufficere omne illud malum, quod sufficeret ad dandam speciem contra patrem, sed exigi malum multò grauius, vt det peculiarem speciem contra amorem fratri debitum, quale procul dubio esset fratricidium, aut mutilatio, vel vulneratio grauis, infamatio notabilis, depauperatio, &c. odium etiam, quo eiusmodi mala desiderarentur: non tamen videtur talis percussio, qua in rixa pugno percuteres fratrem, (modo non sequeretur grauissima dehonoriatio) etiam si esset mortalis, & sufficiens ad incurrendam excommunicationem Canonis: neque etiam detractionis quælibet in re graui, nisi maxima infamia sequeretur, & alia similia. Videatur Coninch dicta disput. 25. de charitate numero 157. & seqq. vbi probat obligationem peculiarem subueniendi fratribus, & affert etiam Lorcam dicentem, posse aliquando benefactores præponi fratribus.

Infero octauò, in peccatis contra alios cognatos, aut consanguineos magis remotos, licet aggrauet, & augeat malitiam eiusmodi circumstantia, non tamen affert speciem diuersam in confessione necessariò explicandam. Ita videtur sentire Bonacina dicta disp. 5. de panis. quasi. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. difficile. 3. num. 15. vbi dicit, iniuriam illatam cognato non affert circumstantiam necessariò explicandam: quia nimirum coniunctio illa est magis remota, ita vt propter necessitatem talium personarum non teneatur, nec possit differre ingressum

cum nouerca, & in vniuersum in eodem gradu grauius esse cum consanguinea, quam cum affine. Ceterum illa maior grauitas non videtur addere differentiam specificam, quia licet demum matrimonium cum affine (quæcunque sit) non esse iure naturæ irritum, sed solum præcepto humano: hoc non obstat, quominus accedente ipso præcepto humano, possit iam eius violatio pertinere ad eandem peccati speciem, ad quam pertinebat copula cum consanguinea. Exemplum habes in peccato simonia, in qua aliquæ sunt simoniae de iure naturæ, aliæ verò solum de iure humano, & Ecclesiastico: & tamen istæ pertinent ad eandem speciem cum illis, ut cum aliis fateretur Suarez *tom. primo de relig. lib. 4. de simonia cap. 7. n. 13*; quia diuersitas præceptorum quoad efficientes causas non variat speciem peccati, quando in materia eiusdem rationis versantur, & eandem virtutis honestatem respiciunt: quia species tam præcepti, quam virtutis ex obiecto, & motiuo sumitur, & consequenter species virtutis laudanda est per recessum ab his, seu per earentiam honestatis debita, quæ eadem est, etiam si ex diuersis præceptis debeatur. Hæc Suarez ibi cum communi: ex quibus constat, idem dicendum esse in nostro casu, quia sicut iure naturæ prohibetur venditio Sacramenti propter intrinsecam turpitudinem, quam habet venditio rei sacre: sic iure naturæ prohibetur copula, seu matrimonium cum propria matre propter turpitudinem specialem contra reuerentiam matri debitam: item sicut iure naturæ non est prohibita venditio beneficij Ecclesiastici; sed tamen honestum est illud non vendere propter connexionem, quam habet cum re spirituali, & sacra; ita dato, quod iure naturæ non sit prohibitum matrimonium cum nouerca; est tamen honestum, quod non fiat, propter reuerentiam etiam, quæ debetur nouerca, sicut matri: ergo sicut Ecclesia prohibens venditionem beneficij Ecclesiastici propter illud motiuum, ponit illud peccatum in eadem specie cum venditione Sacramenti; sic prohibens matrimonium cum nouerca propter illud motiuum, & propter similitudinem, quam habet cum matre, ponit illud peccatum in eadem specie, in qua est coitus cum vera matre. Quæ ratio probat cum proportionem de aliis gradibus affinitatis, in quibus prohibetur copula propter similitudinem, quam habent cum gradibus consanguinitatis eiusdem rationis. Vnde sicut diximus, copulam cum parentibus differre specie à copula cum fratre, aut sorore: item copulam intra lineam transuersam cum consanguineis ultra fratres, semper esse eiusdem speciei: denique copulam patris cum filia differre specie à copula filiae cum patre: sic dicendum est de affinis, copulam cum nouerca, aut vitrico differre specie à copula cum cognata, aut aliis affinis in linea transuersa. Item copulam vitrici cum filiastra differre specie à copula filiastra cum priuigno: copulam etiam cum affine in linea transuersa semper esse eiusdem speciei, saltem quando est ultra primum gradum. An verò, quando est in primo gradu, verbi gratia, cum sorore propria vxoris, aut fratre proprii, viti differat specie à copula cum affine in secundo, vel tertio gradu: videtur consequenter affirmandum, quia videtur pertinere ad eandem speciem, ad quam pertinet copula cum fratre aut sorore, quam diximus esse specie diuersam à copula cum aliis consanguineis. Ceterum probabilius mihi videtur, non differre specie, atque adeo in hoc esse exceptionem à regula, ut non pertineat ad eandem speciem, ad quam copula cum consanguinea eiusdem gradus. Ratio autem est, quia motiuum speciale, quo de iure naturæ prohi-

betur copula inter fratrem, & sororem, est coniunctio illa specialis, quæ ab infantia coniungunt, & in omnibus sociantur: quæ cohabitatio & societas fraterna incenderet nimium luxuria faces, nisi natura ipsa specialis prohibitionis frano coërceret: hæc autem ratio non procedit inter affines etiam in primo gradu transuerso; hi enim non coniungunt, nec educantur simul, aut habent diuersam, aut maiorem ferè coniunctionem inter se, quam affines in secundo, vel tertio gradu: non est ergo ratio, ac motiuum speciale prohibitionis inter illos, sed commune, & generale ad alios affines, atque adeo ea prohibitio non ponit actum in diuersa specie. In affinitate verò in linea recta ponitur actus in diuersa specie, quia debitum reuerentia, quod est motiuum speciale prohibendi copulam cum patre, vel filia, est etiam motiuum prohibendi inter nouercam, v. g. & priuignum, propter reuerentiam similes debitas.

Hinc infero primo ad eandem speciem pertinere peccatum cum nouerca, ac cum matre nouerca; item cum priuigno, vel cum filio priuigni, sicut diximus pertinere ad eandem speciem peccare cum patre, aut cum ano; item eiusdem speciei esse cum filio, aut cum nepote: hoc est, filio filij: quia motiuum speciale prohibitionis idem est, scilicet reuerentia. Infero secundo, ad eandem speciem pertinere peccare cum nouerca, aut cum socero: item ad eandem speciem pertinere peccare cum priuigno, aut cum nuru, aut genere: quia sicut vitricus, & nouerca, sic etiam socer, & socrus reputantur pro parentibus, & sicut priuignus, & filiastra; sic gener, & nurus reputantur pro filiis. Vnde quamuis aliqui dicant, multo grauius esse peccare cum nouerca, vel vitrico, quam cum socro, vel socero: id tamen totum non videtur facere differentiam specificam, cum vniue tam socer, & socrus, quam vitricus, & nouerca sint aliquo modo parentes quatenus vel sunt parentes tui coniugis, vel coniuges tui parentis, atque ideo maius oritur ex irreuerentia parentibus debita.

Magis posset quæriri dubitari, an differant specie peccare cum tua nouerca, viuente eius marito patre tuo, & peccare cum ipsa mortuo iam patre tuo. Et quidem certum est, in primo casu, explicandam esse ad minus circumstantiam adulterij: hoc tamen est per accidens ad rationem incestus. Nam si tua nouerca nupsisset mortuo tuo patre, alteri viro, esset pariter circumstantia adulterij explicanda. Dubium ergo est, an in ratione incestus sit circumstantia specialis ex irreuerentia, quæ sit patri tuo viuenti. Secundo certum videtur circumstantiam illam augere, & quidem notabiliter grauitatem peccati propter irreuerentiam maiorem, quam continet in patrem. An verò addat malitiam specie diuersam: videri posset addere; quia quod attinet ad irreuerentiam contra patrem, licet hæc sit maior contra patrem viuum, quam contra mortuum: adhuc tamen mortuo sit irreuerentia, accipiendo eius uxorem: nam idcirco Ishosaph grauitertulit, quod Abner ingressus esset ad Respham concubinam olim Regis Saulis defuncti, quia videlicet esse videbatur irreuerentia in mortuum Regem, quod priuatus homo vteretur concubina ipsius. Cum ergo in vtroque casu maneat irreuerentia contra patrem, licet hæc sit maior contra patrem viuum, non videtur esse differentia specifica, sed grauior intra eandem speciem.

Verius tamen existimo esse differentiam specificam: quia licet mortuo etiam patre, fiat irreuerentia contra ipsum, viuo tamen non solum irrogatur irreuerentia malum, sed etiam adulterij: quare in illo

320.

321.

Quid de nouerca adhuc superstitia patre?

322.

illo peccato non solum est malitia incestus, & irreuerentia contra patrem, & adulterij, sed etiam impietas specialis laedendo patrem in te tanti momenti. Vnde sicut qui vulnerauit patrem, non satisfacit dicendo, intuligraue damnum patri, sed debet explicare genus mali, quod intulit, quod scilicet vulnerauit: sic qui auferit patri uxorem per copulam illicitam, debet explicare se laesisse patrem in tali bonorum genere, quae iniuria, & laesio contra pietatem non reperitur, mortuo iam patente, cum iam haec non sit vxor.

323.
Quid de pa-
tris concubi-
na?

Sextò dubitabis, an differat specie peccare cum vxore patris, aut cum patris concubina, & in vniuersum, an affinitas ex matrimonio, & affinitas ex copula illicita in equali gradu prohibito refundant malitiam specie diuersam explicandam. Multi affirmant explicandam eam circumstantiam, atque ideo eum, qui peccauit cum sorore vxoris, non satisfacere dicendo, peccaui cum affine in primo gradu lineæ obliquæ: quia totum hoc verificatur in eo, qui peccauit cum sorore illius, quam extra matrimonium cognouerat.

324.

Consequenter tamen ad supradicta, existimo, regulariter eam non esse differentiam specificam; quia licet affinitas orta ex copula fornicaria, sit affinitas imperfecta, atque ideo absque magna difficultate dispensetur etiam in primo gradu linearum rectarum, quod in affinitate orta ex matrimonio, nunquam sit: adhuc prohibito, & lex videtur illam malitiam posuisse in eadem specie, cum habuerit idem motuum prohibendi matrimonium inter eisdem affines. Dixit tamen, *regulariter*: quia in aliquo casu concederem differentiam specificam; nempe peccare cum vxore patris viuents, videri differe specie à copula cum concubina eiusdem patris viuents. Diximus enim in illo primo peccato ultra malitiam incestus esse iniuriam patri; illam in tali bonorum genere, vsurpando eius vxorem, quæ iniuria continet specialem malitiam contra pietatem. Hæc autem malitia non est in secundo peccato: nam qui cognoscit concubinam patris viuents, licet inferat aliquam irreuerentiam patri; non tamen iniuriam, cum non vsurpet aliquid patris, quippe qui ad concubinam nullum ius habeat: non habet ergo illud secundum peccatum totam malitiam specificam, quam habet primum.

325.
De sorore ex
utroque
parente.

Septimò dubitabis, an in peccato cum sorore explicari debeat esse forem ex utroque parente. Aliqui affirmant, quia tunc est duplex impedimentum, cum sit quasi duplex fraternitas, & singula afferant impedimentum suum. Cæterum quidquid sit in ordine ad impetrandam dispensationem; in ordine ad confessionem non credo esse obligationem id explicandi: quia cum omnia illa impedimenta sint eiusdem rationis; licet eorum multiplicatio aggrauet malitiam, non tamen transfert peccatum ad aliam speciem. Vnde non erit obligatio explicandi consanguinitatem; aut affinitatem prouenientem ex duplici capite; si tamen omnes essent gradus eiusdem speciei: item si simul esset consanguinitatis, & affinitas, dum neutra esset in gradu speciei diuerso; mera multiplicatio titulorum, non videatur addere circumstantiam necessariam explicandam in confessione. An verò in petitione dispensationis necesse sit ad eius valorem explicare utrumque titulum consanguinitatis, videatur Thomas Sanchez lib. 8. de matrimonio, disp. 24. num. 4.

326.
De nephe.

Oftæudo dubitabis, an qui peccauit cum propria filia, & rursus cum nepte sua filia eiusdem filiæ, debet id explicare, an verò satis sit dicere; peccauis cum descendenti in linea recta. Aliqui dicunt explicandam filiam, & neptem distinctè. Sed conse-

quenter ad supradicta neganda videtur et obligatio
cūm dixerimus non differt specie peccatum cūm
filio à peccato cū nepore. Dices: in hoc tamen
casu explicandum, quia post copulam patris cū
filia iam contraxerat cū nepre s' finitatem, quasi
cū filia s' concubina; et sua filiastra: peccat ergo
iam propter duos impedimenta diversa, quæ violat
peccando cū illa, quæ est eius neptis secundū
confanguinitatem, & eius filiastra p' s' finitatem,
atque ideo debet explicari illam circumstantiam.
Respondetur tamen ex dictis, illos duos titulos
in nepte non esse specie diuersos, quia filia
quoad hoc non differt specie à nepre: & aliunde filiastra
non differt specie à filia, consequens est,
quod nec circumstantia noua filiastra addat aliquid
specie diuersum supra neptem: ergo sicut neptis
non erat prius explicanda, ita nec filiastra.

Nono dubitatur de aliis impedimentis, & in du-
primis de cogitatione legali, an debeat explicari in
copula illicita. Est autem cognitio legalis, quæ
oritur ex adoptione alicuius in filium; & est triplex.
Prima inter adoptantem, & adoptatum, & eius de-
scendentes, saltem qui erant in eius potestate quan-
do adoptatus est. Secunda est transversalis inter
adoptatum, & filios naturales legitimis adoptantis,
qui sunt in eius potestate. Tertia est quadam lega-
lis affinitas inter uxorem adoptati, & ipsum adop-
tantem, & inter uxorem adoptantis, & adoptatum.
Hæc triplex cognitio impedit, & irritat matrimo-
nium: cum hoc tamen discernimus, quod prima, &
tertia inducunt impedimentum perpetuum, etiam
dissoluta postea adoptione. Secunda vero impedi-
mentum temporale, quando filij naturales, &
adoptatis sunt sub eiusdem patris potestate: unde
si pater moriatur, vel filij naturalis per emanci-
pationem, aut alio modo egrediatur ex potestate
patris, vel adoptio dissolvatur, vel adoptio eman-
cipetur, cessat impedimentum inter illos: de qui-
bus videri potest, latè Thom. Sanchez lib. 7. de ma-
rimon. disp. 63. per totum.

Hoc supposito, certum est, copulam illicitam inter eiusmodi personas, quando cognatio illa, & impedimentum durat, afferre circumstantiam necessarium explicandam in confessione. Dubium esse potest, primo, an sit malitia specie diversa ab incestu inter consanguineos, vel affinitates naturales. Nam Paludanus in 4. dist. 42. *quasi. 1. ar. 3. concl. 7.* dicit, hunc non esse proprie incestum, quia Papa, vel Imperator iura sanguinis mutare non potest. Ceterum ibi consequenter concedit, nullum esse incestum, nisi in gradu prohibito lege natura, quae sola est consanguinitas, vel affinitas vera: in eo consequenter indicat, non posse esse aliquam actionem simoniacam, quia prohibita sit ab Ecclesia; quae omnia sunt manifeste absurda: quare fatendum est, illum esse proprie incestum; unde non est, cur dicamus, differre specie ab incestu inter consanguineos, & affines naturales: cum Ecclesia propter idem motum coniunctionis specialis, quae est inter eiusmodi personas, & propter reverentiam debitam adoptanti prohibuerit eiusmodi coniugia. Sic videtur sentire Thom. Sanchez. *dicta lib. 7. disp. 1. n. 10.* dicens illud peccatum reduci ad incestum, ubi affert Martinum de Magistris *tr. de temperantia q. 9. concl. 7.* idem insinuat Petrus de Soto *lect. 11. de matr.* dicens ibi intercedere quandam affinitatem, & consanguinitatem. Unde consequenter ad principia posita, licet in iis peccatis oporteat explicare circumstantiam incestus, non tamen necesse erit explicare differentiam cognationis legalis à naturali.

Sed circa hoc ipsum rursus dubitari potest,
incestus ex cognatione legali sit semper eiusdem
speciei.

speciei. Respondetur breuiter consequenter ad doctrinam positam, non esse semper eiusdem speciei: diximus enim, hanc cognationem legalem esse consanguinitatem, & affinitatem legalem, & similitudinariam: debet ergo subire easdem conditiones, & diuersitates: quare sicut in vera consanguinitate naturali diximus, differre specie peccatum patris cum filia à peccato eiusdem filiae cum patre, & utrumque à peccato fratris cum sorore: sic dicendum est, differre specie peccatum adoptantis cum adoptata à peccato eiusdem adoptatae cum adoptante, & utrumque à peccato filij naturalis legitimi cum sorore adoptata à suo patre. Rursus diximus, non differre specie peccatum filij cum matre à peccato filij cum nouerca: sic ergo dicendum est, non differre specie peccatum filij adoptati cum vxore adoptantis à peccato filiae adoptatae cum patre adoptante.

Quod dictum est de circumstantia cognationis legalis, dicendum est eodem modo de circumstantia orta ex impedimento publicae honestatis. Est autem impedimentum, quod oritur ex sponsalicio valido contracto de futuro, ex quo oritur impedimentum inter sponsum, & consanguineas sponse in primo gradu, & inter sponsum, & consanguineos sponsi in primo gradu, quod est impedimentum dirimes, de quo latè idem Sanchez dicto lib. 7. disp. 68. & seqq. Quod idem impedimentum oritur ex matrimonio rato non consummato: cum hoc tamen discrimine, quod ex matrimonio rato oritur impedimentum cum consanguineis coniugis, non solum in primo gradu, sed vsque ad quartum; nec obstat, matrimonium fuisse irritum, nisi inualiditas proveniat ex defectu consensus, cum tamen ex sponsalibus irritis non oriatur impedimentum post Tridentinum, nec ex validis vltra primum gradum consanguinitatis, utrumque tamen est impedimentum perpetuum.

Hoc ergo supposito, dicimus, copulam illicitam cum consanguinea sponse, vel coniugis in matrimonio rato, habere similem circumstantiam incestus explicandam: quae quidem est diuersa in specie, si copula sit cum matre sponse, & diuersa, si sit cum filia sponse, & diuersa si sit cum sorore. Quia per sponsalia, quae sunt inchoatio matrimonij, sponsum incipit fieri filius matris sponse, & pater filiorum sponse, & frater sororum sponse. Quare sicut illa peccata essent speciei diuersa cum matre, cum filia, cum sorore propria; sic erunt cum his legalibus, seu similitudinariis. Rursus, sicut supra diximus, copulam cum affine esse eiusdem speciei cum copula cum consanguinea in eodem gradu; sic dicendum videtur de copula cum impedimento publicae honestatis; quod quidem est quaedam affinitas imperfecta, seu inchoatiua orta ex inchoatione matrimonij, & ita accedente prohibitione Ecclesiae ex eodem honestatis motiuo, reducitur ad eandem speciem.

Vnde cum dixerimus supra num. 319. copulam cum affine in primo gradu transuerso, v.g. cum sorore propriae vxoris, non differre specie à copula cum affine in secundo gradu lineae transuersae, licet copula cum sorore differat specie à copula cum consanguinea in secundo, vel tertio gradu: idem dicendum est in praesenti, copulam cum sorore coniugis post matrimonium ratum, non differre specie à copula cum consanguinea transuersa eiusdem coniugis in secundo, vel tertio gradu, quia in speciebus malitiae, quae oriuntur ex hoc impedimento publicae honestatis, debemus magis obseruare regulas affinitatis, quam consanguinitatis, ut dictum est.

P. Ioan. de Lugo de Penitentia.

Decimo dubitatur de impedimento cognationis spiritualis, an, & quomodo debeat explicari. Est ^{333.} *Cognatio* autem cognatio hac impedimentum quoddam ^{333.} *irregularitatis* ritans matrimonium, quod oritur in Baptismo, & Confirmatione inter baptizantem, & baptizatum, & in patrino, & matrino respectu ipsius baptizati, & rursus in parentibus baptizati respectu baptizantis, & patrini, ac matrinae, quod idem respectiue dicendum est in confirmatione. Hoc supposito, certum est, hanc circumstantiam declarandam esse in copula illicita. Dubitari potest primo, an sit species diuersa ab incestu supra explicato in cognatione carnali, vel legali. Respondetur affirmatiue: quia licet contineat quidem malitiam aliquam incestus, quatenus est copula inter personas adeo coniunctas, cuius coniunctionis intuitu Ecclesia prohibuit inter illas matrimonia: addit tamen vltra hoc malitiam sacrilegij; eo quod prohibitio ista oritur etiam ex reuerentia debita Sacramento, quae reuerentia violatur in eiusmodi copula, atque adeo ex hoc capite pertinet ad sacrilegium, ut cum aliis docet Thomas Sanchez lib. 7. dista disp. 5. n. 9. debet ergo explicari cognatio spiritualis in specie, ut constet de vtraque malitia specifica.

Rursus quaeri potest, an haec sit species infima, an verò generica continens sub se alias species contra cognationem spirituales? Respondetur ex supradictis, esse genericam. Nam peccatum baptizantis, seu patrini, cum puella baptizata differt specie à peccato baptizantis cum matrino, vel patrini cum matre baptizati. Quia licet utrumque peccatum sit contra reuerentiam Sacramenti; non tamen participat eodem modo malitiam incestus: peccatum enim baptizantis, vel patrini cum baptizata habet se, sicut peccatum patris cum filia: & contra peccatum baptizatae cum baptizante, vel cum patrino, habet se sicut peccatum filiae cum patre: denique peccatum baptizantis cum matrino, vel patrini cum matre baptizati, aut matrino cum patre baptizati habet se, sicut peccatum socii cum matre sui generi; inter quos non datur titulus reuerentiae, aut subiectionis, sicut inter parentes, & filios, sed coniunctio specialis in ordine ad eundem filium, quatenus vterque est parens, vel per consanguinitatem, vel per affinitatem eiusdem filij. Sic baptizatus, vel patrini, & parentes baptizati habent inter se similem coniunctionem; quatenus ij omnes sunt patres, vel per naturam, vel per Sacramentum eiusdem filij. Et licet perfectiori modo participet hanc paternitatem qui baptizat, quam patrinos; id non facit differentiam specificam: quia etiam pater naturalis est perfectiori modo pater, quam vitricus, & tamen diximus, esse eiusdem speciei copulam cum filio, aut cum priuigno.

An verò diuersitas Sacramenti refundat differentiam specificam, ita ut debeat explicari, an impedimentum ortum esset ex Baptismo, an ex confirmatione: existimo ex hoc capite non argui differentiam specificam, quia neque in ratione incestus, cum per utrumque Sacramentum patrini, vel baptizans, aut confirmans contrahant paternitatem respectu baptizati, aut confirmati, & compaternitatem inter se, & cum parentibus baptizati, vel confirmati, neque etiam est differentia specifica in ratione sacrilegij, cum utrumque peccatum sit contra reuerentiam Sacramentis debitam, & eodem genere irreuerentiae: sicut qui conferret Baptismum, vel Confirmationem in statu peccati, non videtur committere peccata specie diuersa, nec debere explicare quale Sacramentum contulerit in statu peccati, cum

Ff cum

cum ad illam irreuerentiam materialiter se habeat quod sit Baptismus, vel Confirmatio.

336.
De impedi-
mento dispa-
ritatis cultus.

Vndecimò dubitatur, an in copula fidelis cum infideli, hoc est, baptizati cum non baptizata, sit necessariò explicanda illa circumstantia. Supponimus, illam disparitatem cultus esse impedimentum irritans matrimonium; sed dubium est, an copula extra matrimonium habeat etiam malitiam specie diuersam à fornicatione. Azor. 3. tom. lib. 3. c. 29. quæst. 3. & alij, quos refert Diana 2. tom. tract. 4. de Sacramentis resolut. 138. sed verius est, differre specie, atque adeo esse explicandum, vt cum alijs tradit Thomas Sanchez dicta disputat. 5. num. 2. quia Ecclesia prohibens coniugium fidelis cum infideli, id facit ex motiui turpitudinis, quæ apparet in coniunctione cum infideli, quam coniunctionem vult vitare. Hæc autem turpitudine æquè versatur in copula extra matrimonium, in qua est idem periculum malæ educationis in prole, & nimis familiaritatis cum infideli. Quare sicut prohibito matrimonio inter consanguineos, censetur prohibita etiam specialiter copula inter illos, quia manent eadem inconuenientia, quod scilicet fiat vna caro ex illis, qui erant iam adeo coniuncti: sic prohibito coniugio cum infideli, censetur prohibita etiam copula cum illo, cum maneat idem motiuium. Illud autem peccatum non pertinet ad incestum, sed ad irreligiositatem, quatenus per illam fieri videtur contra reuerentiam nostræ religionis, in cuius honorem prohibita est illa coniunctio cum infideli, vt bene obseruat Sanchez loc. cit.

337.
De rapto &
struine.

Duodecimò dubitatur: vtrum impedimentum raptus, vel criminis, scilicet, adulterij cum promissione matrimonij, vel contractu de presenti, vel nece coniugis, afferant circumstantiam explicandam in copula habita inter eiusmodi impedimentis ligatos. Henriquez lib. 5. de pœnit. cap. 6. num. 3. littera M. in Glossa, loquens de impedimento vxoridij, supponit, esse necessariò explicandum in confessione copulæ illicitæ. Alij tamen probabilius id negant, Thomas Sanchez dicta disp. 5. num. 17. & 18. & alij, quos affert, & sequitur Diana dicta tract. 4. resolut. 140. Ratio autem est, quia in iis casibus matrimonium non prohibetur propter motiuium honestatis specialis, sed in pœnam delicti commissi, & vt consulari libertati matrimonij, cui obstat raptus, & indemnitati coniugis, cuius vita periclitaretur, si cum spe futuri matrimonij fierent adulteria, & promissiones, aut machinationes de occidendo coniuge: quando ergo matrimonium prohibetur in pœnam, non prohibetur specialiter copula inter tales personas, quia id parum refert ad intentionem illius legis. Quando autem dicimus, raptum non afferre specialem malitiam copulæ, intelligi debet de rapto; quatenus præcisè impedit matrimonium. Aliunde tamen certum est, quod si copula vi extorqueatur, habeat specialem malitiam raptus necessariò explicandam: hoc tamen non prouenit ex eo, quod impediatur matrimonium; nam etiam stante illo impedimento, & durante, eo quod nondum femina ad locum tutum restituta sit, si tamen femina consentiat in copulam, non habebit circumstantiam raptus: & contra, licet femina non extrahatur de domo, quo casu non contrahitur impedimentum; adhuc si vi extorqueatur copula, habebit circumstantiam raptus explicandam, vt bene notauit Sanchez loco citato.

338.
De impo-
tentia.

Decimo terriò dubitatur de impedimento impotentia, vt si frigidus, Eunuchus, vel impotens, coëat, an hæc sit circumstantia explicanda. Dubi-

tat de hoc Pillius tom. 1. tract. 10. part. 2. c. 1. n. 23. vbi addit, communiter non reputari illam specialem malitiam; sed nescio, quo fundamento; nam Doctores communiter supponunt, esse malitiam specialem necessariò declarandam. Henriquez loco supra citato, Lessius lib. 4. c. 3. dub. 6. num. 45. Sanchez dicta disp. 5. num. 14. vbi meritò addit, illam copulam reduci ad peccatum contra naturam, quia frustratur sine ad quem à natura destinatur. Vnde obiter aduerto, in eiusmodi personis, etiam si constentur peccata interna, debere in iis explicari tale circumstantiam, nisi forte fuerint desideria, quæ ab illa malitia præscinderent; vt si Eunuchus, aut naturaliter impotens ex amore alicuius feminae desideraret potentiam, quæ illi deest, vt posset naturaliter cum illa peccare; nam hic actus internus non haberet pro obiecto copulam contra naturam, sed naturalem, atque adeo careret malitia speciali proueniente ex tali circumstantia.

Decimo quartò dubitari potest de impedimento conditionis seruilis, an quando verè impedit matrimonium, eo quod ignoretur ab altero libero contrahere volente; tunc, inquam, stante illa ignorantia, quæ irritat matrimonium, copula interim habita contrahat specialem malitiam explicandam in confessione ratione impedimenti ad matrimonium contrahendum. Et quidem certum videtur, si copula habeatur sub specie, & prætextu matrimonij, dati specialem malitiam in fetuo, vel ancilla fingente libertatem, & decipiente grauitur coniugem, & inducentem sub opinione veri matrimonij ad copulam illicitam: interuenit enim præter peccatum scandali, fraudis, & dolus in re grauissima. Dubium tamen esse potest, quando non sub opinione matrimonij, sed aliter ancilla coit cum libero ignaro seruitutis, an tunc copula saltem ex parte ancillæ habeat malitiam specialem propter impedimentum, quod tunc interuenit ad matrimonium ex ignorantia seruitutis.

De hoc nihil inuenio apud Auctores; & quidem pro vtraque parte possunt esse rationes: quod enim copula illa ex impedimento stante accipiat malitiam specialem; probari potest ex doctrina supra indicata; quia prohibitio, & irritatio matrimonij in hoc casu non fuit præcisè in pœnam: alioquin quando absque vlla ferui, vel ancillæ culpa fuit ignorantia in coniuge libero, non esset irritum matrimonium, cum non sit pœna absque culpa: motiuium ergo illius impedimenti non est punire feruum, sed subuenire personæ liberæ, ne patiantur grauissima inconuenientia, quæ ex tali matrimonio pati cogèretur, quæ congerit Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 19. n. 2. inter quæ vnum est damnum prolis, quam pater seruus non poterit alere, nec rectè educare. Hoc autem incommodum pati etiam cogitur, qui cum ignorantia seruitutis coit cum persona serua, nam si pater sit liber, cogitur habere filium seruum propter seruilem conditionem matris: si verò mater sit libera, habebit prolem, quam pater, nec alere, nec educare poterit: ergo stante hac ex parte eodem motiuium, censetur prohibita specialiter copula, eo ipso quod Ecclesia prohibuit, & irritauit tale matrimonium cum ea ignorantia.

Verius tamen videtur, illam copulam præcisè ratione impedimenti, non habere malitiam specialem. Potest quidem illam aliunde habere ex fraude, vel dolo, quo persona libera cogitur tale malum in prole sua sustinere: hanc tamen malitiam eodem modo haberet, licet Ecclesia non apposuisset tale impedimentum irritans; quia eodem modo sequeretur illa mala, atque ideo etiam

etiam tunc peccaret specialiter contra iustitiam ancillam v. g. sua fraude causans illud damnum, vel aliquando contra charitatem non impediens illud. Ceterum ex vi præfata impedimenti appositum ab Ecclesia non videtur advenire malitia specifica, quia ut ait Sanchez, *dicta disp. 19. n. 23.* ratio potissima, quæ indoxit Ecclesiam ad hoc impedimentum statucendum, fuit, ut refarciret iniuriam, vel damnum irreparabiliter illatum libero ignorant conditionem ferilem alterius, & ob gravem contractus inæqualitatem. Et quidem inæqualitas contractus non inducitur ad prohibendam copulam illicitam, in qua non sit ullus contractus. Sed neque illa ratio subveniendi ignorantie pertinebat ad prohibendam copulam: nam illa ratio magis tendit ad remedium adhibendum, quando cessat ignorantia, ne maneat irreparabile illud damnum, quam ad impediendum illud ab initio, dum ignorantia perseverat: durante enim ignorantia, verè patitur illud damnum, & generatur proles caritura libertate, vel bona educatione: voluit tamen Ecclesia irritare matrimonium ab initio, ut postea ablata ignorantia, possit persona libera sibi consulere. Hoc autem non procedit in copula illicita, in qua in primis persona libera non est digna Ecclesiastica compassione, & providentia, cum sua culpa incurrit illud damnum. Deinde non oportuit prævenire remedium cum postea, ubi primum cessaverit ignorantia, possit deceptus recedere, & sibi consulere, quod non potuisset post matrimonium, si non fuisset ab initio irritum.

Decimoquintò dubitari potest, an copula in habente impedimentum aliquod non ex dirimentibus, sed ex solum impedimentibus, habeat specialem malitiam in confessione explicandam. Et quidem ex his multa jam abrogata sunt, de quibus non oportet amplius questionem movere. Alia sunt impedimenta ad hoc propositum, v. g. excommunicatio maior, vel minor, cum qua non potest licite suscipi Sacramentum matrimonij: non addit circumstantiam explicandam in peccato fornicationis, ut constat. De aliis certum est, quod addunt talem circumstantiam, verbi gratia, votum simplex castitatis, quod quidem impedit matrimonium, ne licite fiat, & similiter addit circumstantiam specificam in peccato fornicationis. Idem est de interdicto, vel prohibitione, qua aliquis ab Ecclesiæ Prælato prohibitus est, ne contrahat matrimonium cum tali femina, quia dubium est, an inter eos sit aliquod impedimentum, donec id liquidò cognoscatur. Hic ergo, si tunc peccaret cum illa femina, contraheret malitiam specialem propter peccatum, cui se exponit committendi incestum, vel aliud peccatum, quod oritur ex tali impedimento, si sit verum: nisi forte ipse sciat certò, non dari tale impedimentum, quod indagatur, vel nisi illud impedimentum tale sit, ut etiam si certò constaret, non refunderet malitiam in copulam fornicariam, sed in solum matrimonium, propterea aliquibus impedimentis supra concessimus. De impedimento sponsalium, an sponsus, vel sponsa de futuro peccans cum alio contrahat specialem malitiam, diximus supra *sect. 4. n. 176.*

Difficultas esse potest de impedimento disparis cultus inter catholicum, & hæreticum, quod non est irritans, sed solum impediens, an catholicus peccans cum hæretica, vel e contra debeat explicare illam circumstantiam propter impedimentum, quod erat ad matrimonium contrahendum. Hoc dubium tetigit P. Sanchez *dicto lib. 7. disp. 5. n. 13.* ubi dicit, contrahi quidem specialem malitiam necessariò explicandam, quia morum prohibitionis

P. Iohann. de Lugo de Penitentia.

idem est respectu matrimonij, & respectu copulæ fornicariæ: quare sicut de impedimento irritanti disparitatis cultus dictum est, refundere etiam specialem malitiam in fornicationem, idem dicendum est de hæresi, propter eandem rationem; atque adeo malitia illa pertinebit etiam ad eandem speciem contra Religionem, cuius dedecus est coire cum hæretica, & afferre proli periculum manifestum perversionis. Unde regula generalis statui potest pro his etiam impedimentis non irritantibus, quoties ratio, & motuum prohibitionis æquè militat in ordine ad copulam, ac in ordine ad matrimonium, prohibitam intelligi copulam, & ideo explicandam necessariò illam circumstantiam in confessione.

Ultimò dubitari potest circa impedimenta cognitionis, & affinitatis, an ea circumstantia in peccato Sodomie sit explicanda P. Azorius *3. tom. lib. 3. cap. 18.* dicit addere speciem distinctam necessariò explicandam, quando est cum consanguinea, vel affine in primo, vel secundo gradu, secus in aliis vltioribus (qui non sint in linea recta,) sicut nec inter cognatos cognitione legali, vel spirituali. Quam sententiam sequitur Bonacina *de matrimonio, quest. 4. punct. 1. n. 7.* & alij, quos affert Diana *2. tom. tract. 4. de Sacram. resol. 101.* qui immeritò citat ibi Azorium dicentem, Sodomiam inter cognatos intra tertium, & quartum gradum consanguinitatis habere specialem deformitatem, & malitiam præter Sodomiticam: cum tamen Azor contrarium expresse dicat *illo cap. 18. quest. 5.* Rationem autem differentie desumunt ex eo, quod in primo, & secundo gradu sit contra ius naturale prohibens coitum inter illas personas: in aliis verò gradibus non sit contra ius naturale, sed solum contra ius humanum, quod quidem solum prohibuit coitus ordinatos, qui sunt servato sexu, non concubitus extraordinarios: idem docet idem Azor *capite vigesimo secundo* de peccato contra naturam masculi cum femina in vase præpostero, variari specie ratione consanguinitatis, vel affinitatis in primo, & secundo gradu, non in vltioribus, neque inter cognatos cognitione spirituali, vel legali.

In hac sententia displicet in primis, quod dicit cum cognato in secundo gradu contrahi specialem malitiam vltra Sodomiam, non in tertio, aut quarto: quia secundus iure naturæ prohibetur, tertius, & quartus solo iure humano. Hoc, inquam, displicet, cum supponat iure naturæ prohiberi copulam inter cognatos, vel affines in secundo gradu, cuius contrarium de secundo gradu affinitatis transuersæ certissimum est, & de secundo consanguinitatis etiam transuersæ ab omnibus recipitur: ergo si in aliis gradibus non affert malitiam specificam novam, eo quod non sint iure naturæ prohibiti; idem de secundo gradu lineæ transuersæ dici deberet.

Secundò, quia si in gradibus iure naturæ prohibitis Sodomia habet specialem malitiam, idem dicendum videtur in gradibus iure humano prohibitis propter eandem omnino rationem. Probatur sequela. Nam ideo prohibito matrimonio de iure naturæ inter fratres, aut patrem, & filium, verbi gratia, censetur prohibita etiam specialiter copula illicita, & peccatum contra naturam, quia ratio primæ prohibitionis magna ex parte militat in his, nempe reverentia debita conjunctioni sanguinis, & quia propter conjunctionem facilius irritaretur in eis ardor concupiscentiæ, & amoris mutui, nisi speciali fræno maioris prohibitionis cohiberentur: sed in gradibus etiam prohibitis iure humano ratio, & motivum prohibendi matrimonium militat magna ex parte ad prohibenda

Ff 2

344.
An in Sodomia deur
incestus.

345.

346.

prohibenda omnia alia illicita inter illos: ratio quippe prohibitionis fuit obſervantia ſpecialis, quam cognati ad invicem ſibi exhibere debent: item quia cum ſeſe invicem ſapius inveniunt, & frequentius colloquantur, matrimonio non interdicto, maxima eſſet occaſio, & incentivum peccandi: denique quia accedente amore concupiſcentia ad coniunctionis vinculum, nimium inflammarentur libidinis faces, & exardeſceret affectus, quas rationes ponderat Thom. Sanchez diſto libro 7. diſputatione 53. num. 3. & quidem conſtat has rationes non ſolum mouere ad prohibendum matrimonium, ſed etiam omnia, quæ ex turpi amore procedunt: ergo ſicut identitas motui fecit, quod prohibitio iuris naturalis circa matrimonium in aliquo gradu extendetur iure etiam naturæ ad alia omnia turpia; ſic prohibitio matrimonij de iure humano extendi debuit propter identitatem motui ad alia omnia turpia inter illos.

347. Dices oportuiſſe quidem, quod Eccleſia prohiberet matrimonia inter eiſmodi perſonas, quæ aliunde non ſupponerentur prohibita: circa copulam verò Sodomiticam, quæ iam aliunde à natura ipſa grauiffimè prohibebatur, non oportuit addere ſpecialem Eccleſiæ prohibitionem. Sed contra: quia Eccleſia per te non ſolum prohibuit matrimonia inter cognatos, ſed etiam prohibuit ſpecialiter copulam fornicariam inter illos, licet hæc iam eſſet aliunde à natura prohibita. Item ius naturæ inter fratres non ſolum prohibuit matrimonium, ſed etiam prohibuit per te ſpeciali prohibitionem coitum Sodomiticum, licet hic aliunde prohibitus eſſet vniuerſali prohibitionem; ergo non obſtante eadem prohibitionem vniuerſali, oportuit, quod Eccleſia prohibendo matrimonium inter cognatos, prohiberet conſequenter propter eandem rationem concubitum Sodomiticum.

348. Tertiò probari poteſt hanc fuiſſe de facto Eccleſiæ mentem, quia de facto Eccleſia inducit cognationem ſpiritualem inter Sacerdotem baptizantem, & patrem baptizati, vt ex Tridentino ſeſſione 24. decreto de reformatione matrimonij, capite ſecundo. Non poteſt autem intelligi qualem effectum poſſit tunc habere cognatio illa ſpiritualem inter Sacerdotem baptizantem, & patrem baptizati, niſi ſpecialem prohibitionem turpitudinis inter illos intuitu propinquitatis contractæ ex Sacramento. Quod idem argumentum fieri poteſt de cognatione, quæ reſultat inter Sacerdotem baptizantem, & masculum baptizatum. Nam licet olim deſeruire poſſet, vt baptizatus mediante illa cognatione cum baptizante, contraheret etiam cognationem cum filiis baptizantis, ſi quos haberet, quaſi cum fratribus; hodie tamen illa cognatio cum filiis baptizantis, vel patrinoꝝ ſublata eſt; & tamen perſeuerat cognatio cum baptizante: quæ quidem, niſi ſpecialiter prohibeat omnia turpia inter illos, ad nihil omnino deſeruiret, & videretur res quaſi de ſolo titulo; nec facile explicabatur, quid addat de facto: nam coniunctio ratione Sacramenti collati, & ſuſcepti, iam erat ante omnem Eccleſiæ legem: illa ergo lex adueniens aliquid debet operari, nempe facere illos moraliter cognatos; hoc eſt, ſpecialiter impeditos, non quidem ad matrimonium (quod inter duos masculos non poſſet intelligi,) ſed ad omnia, ad quæ carnaliter conſanguinei ſpecialiter ſunt impediti. Dum enim tota illa cognatio ſpiritualem, ſicut & legalis non ſit verè, & ſtriçtè cognatio, ſed æquiualens, & moralis inducta per Eccleſiam, debet æquiualeſcere cognationi veræ in ordine ad aliquid. Alioquin non bene intelligitur, quando Eccleſia induxit de nouo aliquid morale,

quod antea non erat, aut quod ablata illa lege, auferat aliquid morale, aut æquiualens, ſi coniunctio illa ad nihil proſus æquiualeat, poſita lege, ad quod non æquiualeat non poſita, vel omnino ſublata illa lege.

Quartò arguere poſſumus: quia ſi aliquis conſanguineam in tertio, vel quarto gradu turpiter tangat, debet explicare in confeſſione circumſtantiam perſonæ propter malitiam, quam ille tactus participat ſpecificam diuerſam ab illa circumſtantia conſanguinitatis, vt cum communi tradit Sanchez libro 9. de matrimonio, diſp. 46. n. 18. Ergo à fortiori, ſi vir cum conſanguinea in tertio, vel quarto gradu habeat concubitum Sodomiticum, debet explicare circumſtantiam cognationis propter malitiam ſpecie diuerſam. Mirabile enim eſſet, quod tangere manum conſanguineæ addat malitiam diuerſam ſpecie; tactus verò adeo obſcenus, & turpis qui in peccato Sodomie reperitur, non habet malitiam ſpecie diuerſam ex circumſtantia cognationis. Vnde habemus ad minus contra alios Auctores, debere illam circumſtantiam explicari in coitu Sodomitico masculi cum conſanguinea in tertio, vel quarto gradu. Ex hoc autem rorſus probari videtur explicandam etiam eſſe in eodem peccato inter masculos duos conſanguineos in eodem gradu: tum quia inter eoſdem alij tactus turpes videntur habere malitiam ſpecialem declarandam, vt colligitur ex illa doctrina generali, qua Theologi citati communiter dicunt in tactu turpi declarandam eſſe perſonam, ſi ſit conſanguinea: tum etiam, quia ſi Sodomia cum conſanguinea habeat ſpecialem malitiam ratione ſanguinis, cur non habeat ſpecialem etiam malitiam inter duos conſanguineos, cum ſit eadem coniunctio ſanguinis, & debitum obſervantia inter illos: Propter hæc ergo verius videtur illam circumſtantiam explicandam omnino eſſe in hoc peccato, ſive ſit cum conſanguineo, ſive cum affine, aut cognato ſpiritualem, vel legali; de omnibus enim procedit eadem ratio. Quam ſententiam docuit etiam Graſſius de arbitrar. Conf. lib. 2. c. 34. num. 3. & pro eadem Diana diſta reſol. 101. citat Francieſcum Syluium in 2.2. Sancti Thomæ, q. 154. art. 12.

S. 3. De circumſtantia peccati cum pœnitente.

349. **D**ebitari etiam ſolet, an ſit circumſtantia neceſſario declaranda, ſi aliquis peccauit cum filio, vel filia confeſſoris. Non eſt autem quæſtio, quando vſus eſt ipſa confeſſione tanquam medio, vt ſi in confeſſione ſollicitauit pœnitentem, vel cum proximo accederet, aut proximè poſt confeſſionem: tunc enim interuenit grauiffima malitia facilegij, quam meritiò grauiffimis pœnis punit Eccleſia. Dubium ergo eſt de Confeſſario, qui omnino extra actum confeſſionis peccauit cum pœnitente.

350. Duæ ſunt ſententiæ. Prima, & ſatis communis affirmat eſſe circumſtantiam neceſſario explicandam in confeſſione. Hanc tenet Sotus, Palud. Viguerius, Turrecremata, ſupplementum Gabriels, Nauarrus, Gallego, Alexander de Neuo, Tabiena, Armillæ, Vivaldus, Ludouicus Lopez, & alij, quos reſert: & ſequitur Thom. Sanchez lib. de matrimonio, diſp. 55. Nunnus in præſenti, q. 9. a. 2. dub. 3. Coninch diſp. 32. n. 23. Fagundez, & alij multi: quos congecit Diana 1. r. reſ. de circumſt. aggrauant. reſol. 12. Hoc autem aliqui dicunt circumſtantiam illam addere malitiam inceſtus: alij non eſſe inceſtum, ſed facilegij. Rurſus aliqui volunt, ſecluſo omni præcepto humano, interuenire talem malitiam propter

irreuerentiam Sacramenti: alij totum id reducunt ad prohibitionem specialem Ecclesiæ, quæ sicut in Baptismo, & Confirmatione, sic etiam in Sacramento Penitentia induisse videtur quoddam speciale vinculum inter Confessarium, & penitentem, ratione cuius luxuria inter illos habeat specialem deformitatem, quam grauissimis poenis vnit. Vt constat ex Symmacho Papa in c. Omnes 30. q. 1. Vbi sic ait: Omnes, quos in penitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filij, ut & ipsi, quos vel nobis suscipientibus, vel trina meritis vocabulo mergentibus, vnda sacri baptismatis regenerant. Syluester quoque docens admonet vnumquemque Sacerdotem, vt nullus causa fornicationis ad suam penitentialem accedat, quia scriptum est: omnes, quos in penitentia accipimus, ita filij nostri sunt, vt in baptismo suscipi. Quapropter hoc scelus, si quis perpetraverit, non solum dignitatis honorem amittat, verum etiam usque ad exitum vite sue in ipsa penitentia se subdat. Eodem modo loquitur Cælestinus Papa in cap. non debet, eadem causa 30. quæst. 1. Non debet (inquit) Episcopus, aut Presbyter commisceri cum mulieribus, quæ ei sua fuerint confessa peccata, si forte (quod absit) hoc contigerit; sic peniteat, quomodo de filia spirituali: Episcopus quindecim annos, Presbyter duodecim, & deponatur, si tamen in conscientiam populi deuenerit. Ex quibus colligi videtur malitia specialis saltem ex prohibitione Ecclesiæ proueniens.

Secunda sententia negat esse ibi specialem malitiam specie diuersam. Pro hac Diana vbi supra, Bonacina loco citato afferunt Patrem Azorium tertia parte, libro tertio, cap. 9. quæstione 5. sed hic Auditori contrariam sententiam tenet: nam licet dicat illum non esse incestum, addit tamen, quod contrahit grauitatem intra speciem sacrilegij propter rationem, quam statim affert. Si ergo supra fornicationem addit speciem sacrilegij, iam debet ex hoc capite explicari illa circumstantia. Dices non debere explicari: quia iam in illo peccato explicatur aliunde species sacrilegij, cum explicetur, vt peccatum personæ sacræ, & contra votum castitatis: non ergo oportet explicare illud alterum caput, ex quo contrahit rursus malitiam sacrilegij. Sed contra, quia malitia sacrilegij, quæ sumitur ex violatione voti, est multum diuersa à specie sacrilegij, quæ sumitur ex irreuerentia Sacramenti; alioquin, qui violauit votum, vel qui sacrilegè ministravit Sacramentum, satisfaceret, accusando se de peccato graui contra religionem, quod nemo concedet: si ergo Azor concedit, quod accipit speciem sacrilegij, propter irreuerentiam sacramenti, eo ipso docet esse necessariò explicandam illam circumstantiam, nec debuit pro contraria sententia afferti.

Alij tamen tenent hanc secundam sententiam. Petrus de Ledesma de matrim. q. 56. art. 2. dub. vlt. & in summa de Sacrament. c. 19. de Sacram. panis. dicit vtramque esse probabilem. Afferunt etiam Emanuel Sà verbo Confessio, n. 26. & hic quidem in prima editione dixerat explicandam illam circumstantiam, in posteriori verò Romana, & correctæ per Mag. sacri Palatii dictum est non debere explicari. Eandem sententiam docet Basilus Pontius de impediment. matrim. caus. 30. c. 24. §. 2. Bonacina q. 4. de matrim. punct. 16. n. 7. & disp. 5. de Sacram. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. n. 9. Ioann. Sanctius in selectis. disp. 11. n. 5. & alij, quos affert, & sequitur Diana d. resol. 12. & tract. 3. Miscel. resol. 11. Quibus consentire videtur etiam Vasquez in præsent. q. 91. artic. 1. dub. secundo, num. 20.

In hoc puncto distinguendum videtur: nam vel sermo est de malitia, quam illud peccatum habet

P. Ioan. de Lugo de Penitentia.

peculiarem ex ipso iure naturæ, vel de malitia proueniente ex præcepto, & prohibitione humana, loquendo de illa priori malitia, negari non potest, quin aliquando reperitur, & sit necessariò explicanda. Potest autem hoc prouenire in primis ex peculiari irreuerentia, quæ fit contra Sacramentum; & hoc non solum, quando in ipsa confessione, vel proximè sollicitatur penitens ad turpia; sed etiam quoties Sacramentum ipsum sumitur, vt medium ad peccatum, quod ego etiam intelligerem, quando occasione, & prætextu, quod habes curam eam gubernandi, vt penitentem tuam, frequenter eam inuifas, & pecces, aut si occasione confessionis præteritæ eam postea alloquaris: nam hæc omnia reddunt odiosum Sacramentum Penitentia, & suspectum apud maritos, & cognatos, timentes, ne suis vxoribus, vel filiabus à Confessariis quid mali proueniat. Quotiescunque ergo ex peccato redundat irreuerentia, aut detrimentum in Sacramentum ipsum, iam inuenitur iure ipso naturali circumstantia grauis specie diuersa explicanda in eo peccato, quæ quidem non est malitia incestus, sed sacrilegij, & irreuerentiæ specialis contra Sacramentum.

Aliquando hæc malitia specialis prouenire potest etiam iure naturæ, ex eo quod Confessarius peccat non solum peccato scandalii communi, sed specialiter propter peculiarem obligationem, quam habebat ex officio speciali ad procurandum bonum spirituale illius subditi. Nam Episcopus v. g. vel Parochus ex proprio munere sunt pastores, & medici suorum subditorum, atque adeo specialiter tenentur ad impedienda eorum peccata, & ad procurandam eorum salutem: peccant ergo contra debitum sui officij, si posituè maculare conentur animas illas, pro quibus specialiter debebant inuigilare: quod peccatum non solum pertinet ad speciem scandalii, sed etiam est specialiter contra debitum satisfaciendi proprio officio Episcopi, vel Pastoris, &c.

Hæc tamen malitia nec Confessarij est propria, nec etiam communis omnibus Confessariis. Nam in primis Episcopus, licet nunquam audiat confessionem sui subditi, peccat tamen specialiter contra debitum pastoris, si ouem suam, quam deberet defendere, sollicitet ad turpia: quod idem cum proportionem de quocumque Prælato, & de Parocho etiam dici potest, contra verò non reperitur illa malitia in quolibet Confessario, nā licet in ipso actu Confessionis sit pastor, & medicus, & habeat peculiarem obligationem gubernandi, & curandi penitentem: postea tamen, qui ex officio non habet illud munus, non retinet peculiarem aliquam obligationem, eo solum, quod semel audierit confessionem illius scemina. Nam sicut Parochus relicta Parochia, & Episcopus relicto Episcopatu, aut Prælatus finito tempore suæ Prælaturæ, non retinent obligationem erga subditos præteritos, nec eorum peccata cum illis haberent specialem illam malitiam explicandam, quam habuissent prius; sic Confessarius, qui ex officio id non facit, non retinet postea peculiarem obligationem pastoris, vel medici, quæ afferat diuersam specie malitiam, si peccet cum eo, cuius olim confessionem audiuit; quia reuera iam non est pastor, nec medicus, sed fuit, & functus fuit officio suo, facilius id posset concedi in eo, qui licet non sit Parochus, vel Prælatus, est tamen specialiter ab ipso penitente electus, & assumptus in patrem spirituales, à quo gubernetur, quod munus habitualiter acceptauit, & retinet, & atque ideo ex ipso habituali munere obligari videtur ad mediocrem saltem diligentiam circa salutem suæ clientis, & multò magis ad non afferendum illi posituè periculum adeo graue damnationis æternæ.

FF 3 In

In quo sensu recipi potest, quod dixit, Filliucius *tom. 1. tract. 10. cap. 5. num. 187.* cum, qui actus est confessarius illius, cum qua peccat, debere explicare eam circumstantiam, non verò cum, qui iam non est actus ipsius Confessarius. Sed, ut dixi, non solum in Confessario, sed etiam in duce, ac patre spirituali, Prælo, & Pastore eadem distinctio locum habere potest.

359. Si verò sermo sit de malitia speciali proveniente ex mera prohibitione humana, placet omnino secunda sententia. Pro qua est textus *in capit. fin. in fine de cognitione spirituali in 6.* vbi Bonifacius Octavus expresse decernit ex aliis Sacramentis præter Baptismum, & Confirmationem, cognitionem spirituales nequaquam oriri. Et quidem, quod ex Sacramento pœnitentiæ nunquam fuerit orta cognitio spiritualis sicut in baptismo, & confirmatione; probari potest, quia cum olim cognitio ex iis Sacramentis esset inter filios baptizantis, & baptizatum; si cognitio similis oriretur ex Sacramento pœnitentiæ, sequeretur, quod filius Parochi (qui ex præcedenti matrimonio esse posset legitimus, vel ex concubina illegitimus,) nullam posset scēnam ducere in vxorem in toto oppido, quia cum essent pœnitentes sui patris, cum omnibus contraxisset cognitionem spirituales. Porro neque aliam dissimilem cognitionem ex hoc Sacramento oriri, probari potest, quia sine sufficienti fundamento id asseritur: nam ad textus illos supra adductos si semel concedis illam particulam, *sicut*, non significare ibi omnimodam similitudinem cum aliis Sacramentis in causanda cognitione, ut probatum est; facile dici potest, nec significare similitudinem in hoc, quod est parere cognitionem, sed solum in refundenda quadam maiori gravitate in illo peccato, quod non negamus, quam voluerunt gravioribus pœnitentiis punire, vel certe loquuntur de iis, qui ex officio audiebant confessiones, ut Episcopus, & proprius Sacerdos, extra quos nullus forte tunc confessiones excipiebat, & in iis iam diximus esse circumstantiam specialem necessariò explicandam. Denique si tunc fuit cognitio, vel vinculum speciale, id totum sublatum iam est, ut constat ex illa decretali Bonifacii octavi supra citata, ut notavit bene Pontius loco supra adducto.

360. Hinc obiter infero primò, quod dictum est de peccato confessarii cum scēna pœnitente, locum etiam habere in peccato eiusdem cum pœnitente masculo. Nam licet contrarium insinuet Diana cum aliis dicto tract. de circumst. aggravant. resol. 56. Id tamen intelligitur de malitia speciali, quæ resisteret ex sola lege Ecclesiastica, quæ lex solum videtur loqui de pœnitente scēna: cum autem dixerimus totam malitiam specialem; si quæ est in casu nostræ quæstionis, oriri ex ipso iure naturæ; idem, & multò magis locum habet in confessario masculi propter maiorem peccati gravitatem, ex qua redundat maior irreuerentia in Sacramentum, & ipse confessarius ratione officij magis tenebatur ad procurandum bonum subdito in ordine ad vitandum illud gravius peccatum. Dixi tamen, *in casu nostræ quæstionis*, quia quando peccatum illud fieret intra confessionem, aut proximè, vel in loco confessionis, &c. constat specialem malitiam redundare ex speciali prohibitione humana contenta in Bulla Gregorij decimi quinti, in qua prohibitio explicitè extensa est ad confessarium etiam masculum.

361. Infero secundò non solum copulam, sed tactus etiam turpes, aut pollutiones inter pœnitentis femora participare illam malitiam specialem in iis casibus, in quibus diximus explicandam necessariò

in peccato cum pœnitente. Hoc etiam est contra Dianam in eodem loco, qui negat in eiusmodi peccatis declarandam circumstantiam, licet declaranda esset in copula. Sed hæc sententia nullo modo placet, siue sermo sit de malitia, quæ oritur ex iure naturæ, siue de malitia, quæ oritur ex prohibitione Ecclesiastica. Nam sicut prohibita copula inter cognatos cognitione spirituali orta ex Baptismo, tactus etiam, & alia peccata turpia inter illos contrahunt specialem malitiam necessariò declarandam: sic posita prohibitione speciali Ecclesiæ de copula confessarii cum pœnitente propter speciale vinculum ab eadem Ecclesia inter illos constitutum, consequenter tactus, & reliqua turpia peccata contraherent specialem malitiam necessariò declarandam. Loquendo autem de speciali malitia, quæ oritur ex iure naturæ, constat clare inueniri etiam in tactibus, & aliis peccatis turpibus: ex quibus magna etiam irreuerentia redundat contra Sacramentum: & grauitur violat Pastor, vel Prælati in iis debitum, quod ex officio, & munere habet procurandi specialiter salutem spirituales illius subditi.

Infero tertio, quid dicendum sit de confessione illius peccati cum proprio confessario commissi, an possit, vel expediat illud apud eundem confessarium expiari: de quo S. Thomas in *Addit. quæst. 20. art. 2. ad 1.* vbi dicit, quod tunc nec Sacerdos debet audire confessionem mulieris, sed ad alium eam remittere, nec illa debet ei confiteri, sed debet petere licentiam ad alium eundi, vel recurrere ad superiorum, si ille licentiam negaret, tum propter periculum, tum quia est minor verecundia: si tamen absolueret, absolutio valeret. Quæ doctrina verissima est: & quidem quando peccatum iam omnino transiit, & vterque ex corde pœnit, & dolet, nec periculum est reincidentia, facilius posset permitti, quod apud eundem confiteatur: quando verò perseverat effectus ad personam, & periculum est, non debet permitti; quod confessione etiamis renouetur memoria in confessario, & ex ipsa confessione sacramentali cognoscat iterum affectum pœnitentis erga ipsum, de quo latè Basilii Pontius loco supra citato.

S. 4. *Utrum in delectatione interna debeant explicari circumstantia persone, quæ peccanti obicitur.*

362. Quæstio est vulgaris, an qui delectatur turpiter de copula cogitata, verbi gratia, cum nupta, debeat in confessione explicare circumstantiam matrimonij: quod est querere, an delectatio ipsa accipiat malitiam adulterij, ex eo quod versetur circa nuptam.

Celebris est sententia P. Valquez in *1. 2. disp. 111. & 112.* qui docet delectationem non sumere speciem ex obiecto, sed in hoc differre à desiderio, & consensu: quia desiderium est actus efficax, & consummatur exterius, verbi gratia, in opere ipso fornicationis, vel homicidij; delectatio verò est actus inefficax, & consummatur interius. Rursus actum, qui consummatur interius, diuidit in eum, qui habet pro obiecto rem, & non operationem, ut odium Dei versatur circa Deum ipsum, & circa actionem: delectatio verò de fornicatione consummatur interius, & habet pro obiecto operationem externam. Quo supposito, dicit actum, qui consummatur interius, & habet pro obiecto rem, & non actionem, sumere malitiam suam ab ipso obiecto, si tamen consummatur interius, & habeat pro obiecto operationem externam.

externam non accipit malitiam ab obiecto, sed ex oppositione, quam ipse actus habet cum virtute, v.g. delectatio de fornicatione cum virtute temperantiae. Hinc deducit ad nostrum propositum, delectationem morosam de copula cum nupta, cum moniali, cum rapta, &c. non variari specie propter illas diversas personas circumstantias, nisi circa ipsam circumstantiam formaliter delectatio versaretur, verbi gratia, circa coniugatum, quia coniugata est. Hanc sententiam amplectuntur alij, non pauci. Reginaldus, Sayrus, & alij, quos refert, & sequitur Diana 1. tom. tract. de circumst. aggravant. resol. 48. & tractatu 3. Miscell. resolutione 34. & 2. tom. tractat. 4. de Sacram. resol. 68. & probabilem dicunt Azor, Salas Fillucius, Bonacina, & Lessius apud eundem Dianam, & eandem sequitur Castrus Palao 1. tom. tractat. 2. disput. 2. puncto 10. § 4.

364. Hæc sententia difficilis est fortasse magis in modo explicandi, quam in re ipsa. Primum, quia non videtur posse negari, quod malitia delectationis venereæ desumi possit ex obiecto, licet hoc sit actio externa; ergo ex illo fundamento non bene negatur differentia specifica inter illas delectationes. Antecedens probatur in primis ex modo communi loquendi omnium Theologorum, qui vniuersaliter docent, actus sumere suam speciem ex obiecto cum S. Thoma. 1. 2. quæst. 18. art. 2. & quæst. 19. art. 1. & 2. & quæst. 24. art. 4. & quæst. 72. art. 1. & 2. & quæst. 74. art. 8. & alibi passim. Deinde à priori, quia malitia illa vel oritur actu ex eo, quod delectatio sit, vel quia versatur circa tale obiectum. Non primum, alioquin omnis delectatio esset mala: ergo præcisè ex eo, quod est delectatio de tali obiecto; neque enim inueniri potest in eo actu aliud prædicatum præter hæc duo, quæ sunt genus. & differentia adæquata illius: ergo negari non potest, quod ex obiecto proveniat malitia. Denique, quia quod delectatio tendat formaliter in circumstantiam malam, vel solum tendat indirectè, non videtur sufficere ad ponendam, vel tollendam omnino malitiam: sicut neque in actu efficax id sufficit: nam voluntas adulterij, licet tendat solum indirectè ad circumstantiam adulterij, & directè ad libidinem, id sufficit, ut contrahat malitiam adulterij: ergo qui delectatur de copula adultera, licet non formaliter propter adulterium; adhuc contrahet malitiam adulterij, in quam directè fertur.

365. Secundò difficilis est illa sententia; quia regula, quam tradit ad cognoscendam malitiam delectationis, manet æquè obscura, & difficilis, nisi recurramus ad malitiam obiecti. Dicit enim, delectationem esse malam, quando secundum se opponitur alicui virtuti. Peto ergo, quando delectatio opponitur virtuti aut cur, nisi propter obiectum malum, quod habet? vel certè si ex alio capite potest opponi, debet illud explicari, ut possimus decernere, quando delectatio sit, vel non sit peccatum grane.

366. Tertiò, quod actus efficax sit causa operis, & delectatio non sit causa, non videtur sufficere, ut delectatio non contrahat totam malitiam operis: nam si hodie gaudeas de adulterio heri à te perpetrato, gaudium illud certè non influit, nec est causa adulterij, & tamen nemo negat contrahere malitiam adulterij: non est ergo quoad hoc differentia inter actum influentem, & non influentem.

367. Quartò, sicut aliquis non delectatur formaliter de adulterio, aut de violentia, sed de libidine, & ideo per te non contrahit malitiam adulterij, sed fornicationis: sic non delectatur de malitia fornicationis, sed de voluptate, quæ quidem secundum

se præscindit à licita, & illicita: nam sicut femina illa poterat non esse coniugata; & ideo libido, de qua delectaris, secundum se præscindit ab adulterio: sic poterat esse vxor tua, & ideo voluptas, de qua delectaris, secundum se præscindit à fornicatione, vel copula licita: ergo sicut propter priorem præcisionem delectatio non contrahit malitiam adulterij, sic propter posteriorem non contrahet malitiam fornicationis.

367. Ex hoc autem ultimo argumento possumus faciliè rejicere, & dissolvere aliqua exempla, quæ P. Vasquez affert disputat. 111. cap. 2. num. 9. & 10. ut probet, delectationem non accipere malitiam ex obiecto, sicut eam accipit voluntas efficax; quia potest aliquis delectationem accipere ex duello, & ex bello iniusto, licet non possit ea velle: sicut etiam religiosus potest delectari in sumptibus propria auctoritate faciendis absque peccato mortali; licet non possit absque mortali id velle. Item potest aliquis delectari, quod pollutio sequatur in somno, licet non possit velle, quod fiat. Denique potest gaudere de furto alicui factò; quia ablata fuit ei occasio peccandi, licet non posset propter illum finem velle, vel suadere, quod fieret illud furtum.

368. Ad hæc exempla respondent faciliè aduersarij. Ad illud de duello, & bello iniusto, posse quidem aliquem delectari de eorum visione ex suppositione, quod fiant; non tamen gaudere, quod facta sint, quia non licet gaudere de iis, quæ non licet desiderare, cum gaudium & desiderium differant solum penes tempus præteritum & futurum, quod connotant in obiecto: & quidem neque etiam desiderium est voluntas efficax, aut causativa, quia multa possumus desiderare, quæ non possumus facere: & tamen non licet desiderare duellum, aut bellum iniustum.

369. Ad secundum de Religioso, sicut non potest velle facere illos sumptus sine licentia, ita non potest delectari in illis factis sine licentia: potest quidem velle aut desiderare illos absque malitia proprietatis & eodem modo poterit de illis delectari. Ad illud de pollutione, sicut potest quis gaudere de illa in somno habita, non propter voluptatem, sed propter sanitatem: sic posset propter eundem finem eam desiderare, non tamen procurare. Ratio est: quia pollutio secundum se non est mala etiam obiectiva, sed ut procurata; quia quod pollutio absque procuratore sequatur, non affert magnum damnum proli: quod verò posset procurari, & intendi, hoc affert maximum damnum generationi prolis: & ideo procurare pollutionem est obiectivè malum. Vnde pollutionem illicitè procuratam, sicut non potest quis velle, aut desiderare, sic nec potest de illa delectari. Denique ad illud de furto dicendum est, posse quidem nos gaudere de effectu sequuto, non verò de causa, nec quod effectus positus fuerit per talem causam. Sicut potest pater amare filium illegitimum, non tamen potest gaudere de causa, aut quoddammodo genitus fuerit.

370. Addo, contra hæc omnia exempla posse, ut dixi, retorqueri argumentum, quod attuli ex ipsa fornicatione. Nam si possumus delectari de bello iniusto, de duello, de sumptibus absque facultate, de pollutione, de furto absque eo quod delectatio accipiat malitiam ex obiectis: cur non posset etiam haberi delectatio de copula adultera, absque eo quod contrahatur malitia, non solum adulterij, sed nec fornicationis? non enim est magis intrinsecè connexa copula illa cum malitia fornicationis, quam pugna cum iniustitia, aut sumptus cum vitio proprietatis, &c.

371. Propter hæc ergo alij dicunt vniuersaliter, delectationem accipere totam suam malitiam ex obiecto malo: sed contra hoc est, posse esse obiectum bonum, & delectationem illicitam: vt si religiosus cogitans se in statu seculari, haberet nunc delectationem de copula, quam tunc cum vxore haberet: obiectum quidem esset bonum, scilicet copula cum vxore, & tamen delectatio esset illicita. Fatendum itaque est, posse nos aliqua desiderare, de quibus non possumus quamlibet delectationem accipere. Nam solutus desiderat aliquam in vxorem, vt possit ei copulari, & tamen non potest tunc delectationem habere de copula cum ea habenda.

372. Alij ergo dicunt, delectationem in re venerea non tam accipere malitiam ex obiecto, quam ex effectu: quia, scilicet, affert secum præsentem commotionem corporis, & excitationem vehementem spirituum, deseruiuntque generationem, atque ideo videtur esse principium copulæ præsentis: ideo quantumcumque obiectum sit licitum, nempe copula habita, vel habenda tunc, quando licita erat, vel erit, semper est illicita solutis. Ita Sanchez lib. 9. de matrimon. disputat. ult. num. 4. Bonacina quest. 4. de matrimon. punct. 8. num. 15. Castrus Palao loco supra citato, punct. 10. §. 2. num. 7. & alij. In quo etiam sensu explicari potest doctrina prima relata ex Vasquio, quod delectatio hæc non ex obiecto, sed secundum se opponitur castitati: quia, scilicet, sumere talem delectationem, quæ afferat secum talem commotionem corporis, prohibitum est iis, quibus delectatio venerea prohibita est, quales sunt omnes non coniugati. Quod de delectatione, in aliis materiis non procedit, quia non affert secum similem effectum præsentem, qui prohibitus sit pro eo statu.

373. Hæc doctrina aliquid veri continet, sed nisi limitetur, vel extendatur, adhuc manet difficilis; primo, quia si malitia illius delectationis non prouenit vltimo modo ex obiecto malo, sed ex effectu prohibito non coniugatis, consequens videtur in primis, omnes eiusmodi delectationes esse eiusdem speciei, cum effectus, quem de præsentia causant in corpore, sit eiusdem rationis, atque adeo siue cogitur de nupta, siue de sanguinea, &c. delectatio ex hoc capite non habebit malitiam specie diuersam. Consequens autem contra ipsum Sanchez lib. 1. in Decalog. cap. 2. & ipsum etiam Bonacinam loco citato num. 18.

374. Secundò ponamus, quod aliquis delectetur de pollutione cogitata apposita conditione explicita, si esset licita, quo casu malitia delectationis non sumeretur ex obiecto, sed solum ex effectu, quem de præsentia causat, tunc, inquam, malitia non deberet esse diuersa specie à malitia delectationis de fornicatione; quia effectus, quem vtraque delectatio causat in corpore, est idem. Consequens tamen esse videtur contra ipsum Vasquez, qui illa disput. 11. 2. num. 4. expresse fatetur, delectationem de obiecto turpi contra naturam accipere speciem peculiarem explicandam in confessione, quod idem docet Salas in 2. 2. somotratat. 13. disputat. 6. sect. 6. num. 60. qui tamen numero 55. dum refert sententiam Patris Vasquez male illi tribuit, quod nequè etiam diffinitionem agnoscat inter delectationes de coitu naturali, vel de coitu contra naturam; hoc enim expresse negauit Vasquez, & eius sententiam amplectens, idem negauit Castrus Palao dicto puncto 10. §. 4. num. 41.

375. Aduersus illos tamen virgeri potest hoc idem argumentum, etiam casu, quo aliquis non excluderet malitiam, seu prohibitionem pollutionis, sed delectaretur cogitando de pollutione: quia si delectatio

illa non accipit malitiam ex obiecto, sed ex dissimilitudine, & oppositione, quam secundum se habet cum castitate, & hæc oppositio sumitur ex effectu, & commotione corporis, quam delectatio secum affert; eadem videtur esse malitia, siue delectatio sit circa pollutionem, siue circa copulam naturalem; nam eundem effectum causat de præsentia in corpore vtraque delectatio; ergo vel fatendum est, malitiam specialem desumi ex obiecto, vel debet assignari alia ratio, cur delectatio simplex in materia venerea sit illicita, & non in aliis materiis, cum malitia per se nec sumatur ab obiecto malo, nec ab effectu, quem causat; quæ tamen ratio oppositionis specialis difficile potest inueniri.

Pro resolutione igitur huius puncti aduerto, ad nos pro nunc non pertinere tractare ex professo, an delectatio de obiecto sit illicita, sed vtrum delectationes male & illicitæ distinguantur specie necessariò explicanda pro diuersitate malitiæ, quæ apparet in ipso obiecto. Cæterum ad hoc ipsum declarandum, necesse erit breuiter supponere nostram sententiam circa radicem malitiæ delectationis.

Dico itaque breuiter, delectationem, sicut & desiderium malitiam accipere ex malitia sui obiecti, non tamen ita vt non possit aliunde etiam malitiam habere; vnde circa obiectum, quod secundum se non proponatur, vt malum, poterit etiam contingere delectatio mala.

Præmam partem huius assertionis probat mihi exemplum desumptum ex actu desiderij, loquor autem de desiderio, non quidem quod sit voluntas efficax & causatiua, sed merum desiderium, quasi speculatiuum: possum enim ego desiderare mortem Petri, vel quod occidatur iniuste ab inimicis, licet nullo modo velim cum occidere, aut cooperari ad eius necem. Tunc autem non videtur dubium, quod desiderium de nece Petri, aut de adulterio Ioannis sit malum propter malitiam rei desideratæ, cum scriptum sit de peccatoribus: *Abominabiles facti sunt sicut ea, quæ desiderauerunt.* Idem ergo debemus dicere de gaudio: nam gaudium & desiderium circa idem obiectum non differunt, vt dixi, nisi secundum diuersa tempora quæ respiciunt, quia vtrique actus approbat, & amplectitur idem obiectum, alter pro tempore futuro, alter pro tempore præterito. Sicut ergo desiderium homicidij est malum ab obiecto, ita gaudium, seu delectatio de illo malum erit.

Ratio à priori desumitur ex natura gaudij & delectationis, quæ quidem quando absolute, & nulla conditione posita, fertur in obiectum, approbat, & amplectitur illud pro affectum: cum autem obiectum secundum se appareat malum, non potest voluntas licite affici ad illud, nisi saltem excludat condiciones, aut circumstantias, quæ illud reddunt obiectiue malum & turpe, ac indignum affectu, & amore naturæ rationalis. Exemplis hoc ipsum declarari potest, quibus in aliis etiam materiis experitur vnusquisque apud se malitiam talis delectationis, verbi gratia, si aliquis præuidens periculum salutis, quod honores & dignitates sæculi secum afferunt, adhuc eas desideret, & imaginando eos sibi deferri, delectetur, cogitando se in illis dominari, & eminere aliis: certè si subtiliter examinet hanc delectationem, remotum conscientia experitur, & dolet, ita se parum sollicitum esse de propria salute, vt dignitates amet cum tanto salutis periculo, & non magis timeat; nam affectus ille ostendit, se præferre honorem sæculi securitati salutis æternæ. Cæterum si in eiusmodi cogitatione secludat expressè illud periculum, & imaginetur se ad dignitates assumi,

assumi, cum securitate; tamen ex Dei revelatione promissa, quod non ideo suberit salutis periculum: tunc in delectatione de eiusmodi dignitate sic cogitata, licet videatur sibi non satis affectus ad humilitatem, & ex hoc capite remorsum habeat conscientie; non tamen videtur sibi peccasse contra desiderium assecurandæ salutis, cum hoc periculum expresse excluderet in eiusmodi delectatione. Hoc ipsum ad alias omnes materias applicari potest: nam si desideres navigationem periculosa[m] patris, ut interim maiori libertate fruaris, & de hac navigatione cogitata delecteris; argueris certe minus diligere patrem, cuius periculum non times, sed amas, si autem cogitatione excludas omne periculum à navigatione: tunc delectatio illa, licet arguat affectum ad libertatem, non tamen arguit minorem affectum erga parentis salutem. Vides itaque delectationem, quæ non excludit ab obiecto malitiam, quam habet, accipere ab ipsa malitiam, eo quod sit affectus voluntatis nostræ ad illud bonum vestitum omnibus illis circumstantiis, licet nec cause obiectum, nec circumstantias ipsas.

380. Secunda verò pars assertionis, quod scilicet aliquando delectatio possit esse mala, licet ex parte obiecti non appareat, vel excludatur expresse circumstantia mala; probatur in delectatione de materia venerea. Nam licet copula viri cum vxore licita sit, & ex parte obiecti nullam afferat circumstantiam malam: religiosus tamen, vel solutus non potest licite delectari in cognitione eiusmodi copulæ, licet expresse ex parte obiecti ponat circumstantiam matrimonij, quæ reddit copulam omnino licitam. Radix autem malitiæ in eiusmodi delectatione, cum non possit desumi ex malitia obiecti, nec ex affectu voluntatis ad obiectum malum, debet omnino reduci ad peculiarem illam oppositionem talis delectationis cum aliqua virtute, prout in delectatione de copula licita, videmus opponi in homine soluto cum virtute castitatis propter commotionem illam, & vehementem carnis ardorem, quem secum affert talis delectatio, quod in eo statu illicitum est. In aliis verò materiis non facillè inuenies delectationem illicitam, cuius obiectum secundum se sit bonum. Multa exempla congerit. P. Vazquez *dicta disputat. III. cap. 4.* sed in iis ferè semper inuenitur malitia ex parte obiecti. Primum est delectationis ex superbia in propria excellentia, sed tunc ex parte obiecti inuenitur, vel obiectum non dignum tanto amore, vel gradus supra meritum, in cuius possessione aliquis delectatur, vel honor aliquis afferens periculum spirituale, quæ omnia ex se habent malitiam: vel certe si solum delectatur homo de vera excellentia, quam habet, delectatio vel non erit mala, vel ideo erit mala, quia affert secum periculum superbiæ, vel alterius peccati, quare habebit se in eo casu, sicut delectatio de copula licita, quæ adhuc est mala propter malum præsens, quod affert.

381. Secundum exemplum est, delectationis de quocunque peccato, prout est contra Deum. Tertium, delectationis de peccato, prout est contra legem superioris. Quartum, delectationis de malo proximi, quatenus malum eius est. Quintum inuidiæ, quæ delectatur de malo proximi, cuius bonum diminuebat nostrum. Sextum crudelitatis & scruitie, quæ delectatur in tormentis, vel vulneribus alienis, in quibus omnibus facillè apparet ex parte obiecti aliquod malum, quod vel nullo modo, vel certe propter seipsum amari non possit: nam malum in præsentia appellamus non solum id, quod in se prohibitum est, & turpe, sed illud etiam, quod relatiue, seu in ordine ad nostrum amorem sit ma-

lum, eo quod habeat tam exiguum perfectionem, & bonitatem in se. Eiusmodi est gloria vna apud homines; mala item aliena, quæ non sunt amabilia propter seipsa, nec digna nostro affectu. At verò copula licita non est talis, quia potest bene amari, & desiderari à solutis; non tamen possunt de illa delectari propter malum, quod ipsa formalis delectatio affert. Vnde constat, idem dicendum esse ad alia exempla, quæ num. 20. affert de actu displicentia, qui ex se, & non ex obiecto habet malitiam, verbi gratia, quando quis tristatur de bono Dei, vel proximi; item cum ex inuidia displicet bonum proximi. Denique quando alicui ex contemptu displicet obedientia propria, vel aliorum erga superiorem. Sed in iis, & similibus, constat repetiti ex parte obiecti, non quidem malum, sed bonum tale, quod possit refundere malitiam in affectum tristitiæ, nam sicut malitia obiecti refunditur in eius amorem, aut delectationem de illo, sic bonitas obiecti refundit malitiam in displicentiam, aut tristitiam de tali obiecto.

382. Ex hac doctrina breuiter proposita colligere iam possumus resolutionem præsentis dubij, & obiter aliorum, quæ circa delectationis malitiam solent proponi. Primum ergo inferitur delectationes de obiecto malo, quando non excludunt malitiam ab obiecto, participare ab obiecto malitiam specie diuersam, atque adeò, qui delectatur de copula cum nupta, non referendo illam copulam ad tempus, quo non esset nupta, habet malitiam specie diuersam propter obiecti circumstantiam adulteriij. Similiter haberet malitiam specie diuersam, si delectaretur de copula cum consanguinea, non excludendo circumstantiam consanguinitatis, & sic de aliis: quod ex supradictis aperte colligitur.

384. Infero secundò, si mente præscindatur obiectum à tali circumstantia, delectatio habebit ex obiecto illam solam malitiam, quæ desumi potest à malitia, quæ non præscinditur, verbi gratia, si delectaris de copula cum moniali, casu quo non esset monialis: tunc delectatio non habebit malitiam ex sacrilegio, sed esset sicut delectatio de copula cum soluta; quia illam solam malitiam relinquit ex parte obiecti.

Infero tertio, si delectaris de copula cum soluta, vel cum nupta, &c. sub conditione, seu casu, quo esset vxor tua præscindendo ab obiecto omnem malitiam, tunc delectationem non habere malitiam ab obiecto, sed illam solum communem, quam habent omnes eiusmodi delectationes in non coniugatis, quæ prouenit ex commotione corporis supradicta, quam secum affert. Poterit tamen illa delectatio habere malitiam specialem ex parte subiecti, ut si sis religiosus, vel coniugatus, de quo postea. Vnde aduerte, in hac materia non esse eandem rationem de desiderio, & delectatione; quia licet quoad malitiam, quæ desumitur ab obiecto: sit eadem ratio de vtroque actu, non tamen quoad malitiam, quæ desumitur ex ipso actu propter effectum, quem delectatio causat in corpore, quem non causat desiderium.

385. Infero quarto, licet malitia, quæ desumitur ab obiecto, competat omni delectationi, quæ circa illud versatur; sicut & omni desiderio; malitiam tamen, quæ non sumitur ab obiecto non competere omni delectationi in materia venerea, sed illi, quæ affert, vel apta est afferre secum illam corporis commotionem supra explicatam. Potest enim dari alia delectatio, vel gaudium tale de copula licita, vel aliena, vel propria, præterita, vel futura, quæ sit mera approbatio obiecti, quasi speculatiua, vel cum vidua gaudet se reddidisse viro debitum, vel se expertam

383. *Varia resolutiones circa malitiam delectationum.*

384.

385.

expertam fuisse delectationem conjugalem, vel sponsus gaudet, quod poterit frui sponsa; quæ delectatio in modo tendendi non differt se à desiderio, nec affert secum illam corporis commotionem, sicut affert illa alia, quæ versatur circa obiectum, sicut si esset præsens: quam differentiam unusquisque facile experitur, & aliqui Auctores explicant dicendo delectationes, quæ sunt in sola voluntate, esse licitas; non verò quæ sunt in appetitu sensitivo. Ita loquitur Thom. Sanchez cum aliis *dicto lib. 1. in Decalog. cap. 2. num. 32. & seqq.* Quam distinctionem impugnatur Castrus Palao cum aliis *dicto puncto 10. §. 2. num. 5.* Ipse autem aliis nominibus distinguit illam duplicem delectationem: alteram vocat meram approbationem obiecti, quam dicit non afferre secum illam commotionem: alteram appellat simpliciter delectationem. Sed quoad hæc questio erit de vocabulis. Certum autem videtur dari in nobis duplex illud genus delectationis valde diversum, & licet utrumque detur in voluntate, altera tamen ex illis facit suos effectus sentiri in parte sensitiva, & idem Sanchez, & alij dixerunt illa esse in appetitu sensitivo.

386.

Infero quintò delectationem de copula aliena licita, si sit prioris generis licitam esse, quia obiectum est bonum: si verò sit posterioris generis, esse licitam propter effectum, quem causat. Idem dicendum est de delectatione, quam habet sponsus de futuro, aut vidua de copula licita futura, vel præterita, quæ delectatio sub eadem distinctione erit, vel licita, vel illicita.

Infero sextò, quid dicendum sit de religioso, vel coniugato habente delectationem circa copulam cum aliena, casu, quo ipse non esset religiosus, sed coniux illius. Nam si illam conditionem non apponat, sed delectetur de copula etiam vestita cum illis circumstantiis licet non delectetur de circumstantia: fatendum est omnino iuxta nostra principia, accipere speciem à circumstantiis illis. Quando verò obiectum præcinderetur mente ab illis circumstantiis: de Religioso concedunt omnes habere in illo adhuc peculiarem malitiam ratione status: quia per votum castitatis peculiariter interdixit sibi omnem delectationem veneream: quare illa delectatio præsens habebit specialem malitiam sacrilegij propter violationem voti; non tamen habebit malitiam adulterij, vel incestus, licet delectetur de copula cum consanguinea, vel coniugata, quia eas circumstantias per mentem separare potest: imò licet cogitaret de copula cum moniali, delectatio illa haberet quidem malitiam sacrilegij ex parte subiecti, nempe illius, qui delectatur, non tamen ex parte obiecti, si illam circumstantiam separaret per mentem.

Petes, cur non possit etiam per mentem separare illam circumstantiam, quatenus se tenet ex parte subiecti, si apprehendat se in statu seculari, & sine voto? Respondetur, licet eam circumstantiam mente præcindat, & ita tollat ex ea parte malitiam obiectivam, adhuc peccare contra votum, quo se obligavit ad non habendas eiusmodi delectationes venereas illicitas: supponimus enim ex supradictis adhuc illam delectationem manere illicitam in non coniugato propter commotionem corporis, quam secum affert.

387.

De coniugato autem maius dubium est, an si mente præcindat circumstantiam coniugij, adhuc contrahat specialem malitiam, si delectatur de copula cum alia femina præter propriam uxorem. Nam P. Valquez *disput. 112. num. 10.* dubitat, quia matrimonium contractum non videtur obligare quem, ut nec intenus cogitet de alia femina; &

magis dubitat Castrus Palao *dicto puncto 10. §. 4. num. 4.* quia cum hæc delectationes sint actus interni, & per se incogniti alteri coniugi, non videntur sese mutuo obligare ad illis carendum. Adhuc tamen ij Auctores non audent id absolute docere: & merito, quia communis sententia affirmat circumstantiam coniugij esse explicandam, quam affert Bonacina *dicta quest. 4. de matrimon. punct. 8. num. 19.* & fidelium praxis ita habet. Ratio autem ex supradictis delumi potest, quia siue coniuges sese mutuo obligent ad actus internos, siue non: hic tamen actus non est merè internus, cum dixerimus eius malitiam sumi ex effectu, quem in corpore causat: sicut ergo coniux peccat contra fidem matrimonij polluens se, quia interdixit sibi vsum corporis sui, nisi ad finem matrimonij; ita peccat contra eandem fidem delectatione tali, quæ secum affert turpem corporis commotionem, & excitationem vehementem spirituum, &c. Quare sicut desideria alterius feminae, licet sint actus interni, sunt contra fidem coniugij, quia habent pro obiecto actum internum; sic delectatio illa erit contra eandem fidem, licet sit actus internus; quia affert secum effectum externum sibi prohibitum, nisi ad finem eisdem matrimonij.

Infero septimò, posse etiam esse delectationem licitam circa obiectum, non solum iure positivo, sed etiam iure naturali prohibitum, si præcindi possit ab omni malitia obiectiva, & aliunde delectatio secundum se non affert oppositionem cum virtute. Sic potest aliquis etiam in die Veneris delectari de usu carnis, ponendo vel die Dominica, vel etiam die Veneris ablata prohibitione. Sic etiam delectari potest de acceptione rei alienæ, accedente licentia Domini, vel dispensatione Dei. De neutra autem obiectis delectari potest non exclusa malitia: differentia tamen esse potest, quod in prohibitis iure positivo facilius potest excludi malitia, quam in prohibitis iure naturæ. Horum enim aliqua non poterunt excludi à malitia, quæle est agere contra conscientiam: nam quantumcumque dicas: *Si liceret agere contra conscientiam, ego operarer contra illam, semper videtur retineri malitia ex parte obiecti*, sicut si diceret, *Si liceret peccare, vel operari malum; ego illud facerem*. Simile etiam videtur, si dicas: *Si liceret, & possem destruere Deum, illum destruerem*, nam hic actus semper retinere videtur malitiam ex parte obiecti, cum adhuc maneat Deus in finitè amabilis. Ceterum quidquid de hoc sit, nunc solum dicimus, quando obiectum potest perfecte præcindi ab omni malitia, posse nos de illo delectari, licet sit de iure naturali prohibitum. Unde peccat etiam, qui ex odio dicit, *si non esset peccatum, ego occiderem hunc hominem, ut malum illi inferrem*: quia semper relinquit ex parte obiecti malitiam, cum relinquat malum proximi, quod nullo modo est amabile propter se, sed odibile.

Infero octavò de obiectis etiam iure naturæ prohibitis, à quibus per inadvertentiam secluditur malitia, posse nos aliquando gaudere, quando sine advertentia posita sunt, si possumus gaudere de mendacio absque advertentia prolato. Item de pollutione in somno habita propter finem semitatis. Ratio est: quia mendacium absque advertentia prolatum non affert secum intrinsecam odibilitatem, & malitiam, sicut mendacium scienter prolatum quod si liceret, tolleretur fides in humano commercio. Unde de mendacio sine advertentia prolato possumus gaudere, quia illud non affert magnum malum. Ita possumus gaudere de mendacio prolato cum advertentia quidem ad falsitatem, sed sine advertentia ad culpam, & malitiam: quia neque illud semel prolatum

cum affert magnum malum, neque propter illud malum prohibetur, sed propter malum, quod affertur, si liceret, quia tunc passim preferretur. Idem est de pollutione; potes enim ad finem sanitatis gaudere de illa in somno habita, imò & de illa procurata absque culpa propter ignorantiam inuincibilem, quia neque sic posita affert magnum damnum proli, nec propter illud prohibetur, sed propter damnum, quod affertur, si licita esset, quia tunc passim poneretur. Non tamen licet delectari de pollutione in somno habita propter voluptatem, quam attulit, quia iam tunc ipsamet delectatio secundum se opponeret castitati propter malum, quod secum affert, ut supra explicuimus.

Infero nonò, in delectatione de copula Sodomitica, aut peccatis contra naturam, explicandam esse circumstantiam specificam ipsius obiecti, propterea etiam ipse Vasquez, & eius asseclæ id fatentur, ut vidimus: quia ibi malitia non ita secluditur, ut non maneat semper obiectum turpe, & refundens malitiam in actum approbationis, & delectationis.

Dices: posset etiam aliquis cogitatione separare malitiam ab eiusmodi obiectis, si delectetur in illis, casu quo Deus, ut supremus Dominus per mutationem materiam redderet ea alicui licita, propterea redditur Osee licitum accessum ad non suam; tunc ergo delectatio de obiecto sub ea præcisione non haberet malitiam specialem ex obiecto declarandam in confessione. Respondetur, ea copula sodomitica, aut peccato contra naturam cogitato cum dispensatione, aut facultate Dei, delectationem retinere adhuc malitiam ex parte obiecti, quia turpitudine illa habet sceleratam adeò intrinsecam, ut si maneat cum suis intrinsicis, non possit reddi licita, nec Deus possit eam præcipere, aut ad eam dare facultatem, sicut neque ad odium, inuidiam, aut similia. De quo videtur potest Salas disputat. 5. de legibus, sect. 9. num. 51. ubi dicit Deum non posse dare alicui licentiam, ut accedat ad non suam ex affectu libidinis, & num. 62. dicit, non posse Deum dare alicui licentiam generalem accedendi ad quamlibet non suam: quia non posset esse iusta causa concedendi talem licentiam: & idcirco ex eiusmodi peccatis præceptis, vel permissis probatam bene, & euidenter fuisse falsitatem Deorum, qui apud Gentiles hæc permittebant, vel consulebant. Quamò ergo minus suberit causa iusta permittendi, verbi gratia, copulam sodomiticam, cuius turpitudinem tam grauitur Divina puritas detestatur? Delectatio itaque in eiusmodi turpitudine, licet apponeret illam conditionem, adhuc retineret ex parte obiecti malitiam sufficientem ad refundendam illam in affectum. Quod si ignorantiam inuincibilem putaret homo, tunc non manere ullam malitiam ex parte obiecti; illud esset per accidens propter ignorantiam; nos autem loquimur de malitia specifica, quæ per se competit illi delectationi: quæ tamen semper reineret malitiam aliam, quæ competit ratione sui, & non ab obiecto, nisi circa hanc ipsam malitiam intercederet etiam ignorantia inuincibilis.

SECTIO VII.

Utrum penitens possit & debeat explicare in confessione complicem sui peccati?

Notandum primò, non esse nunc questionem, quando ex manifestatione complicis timeatur prudenter aliquod eius malum extrinsecum, ut quod Confessarius eius delictum reuelabit, vel aliquod malum ei inferet: de hoc enim infra agendum erit.

sect. 13. Sed præsens casus est, quando nullum aliud damnum sequitur complici, præter illam simplicem noticiam, quæ Confessario datur, & infamiam, quam apud illum incurrit.

Notandum secundò, conuenire omnes in hoc quod penitens absque aliqua necessitate, vel causa, non potest complicem manifestare cum infamia grati: quare debet vel peccatum ita confiteri, ut in suspicionem personæ complicis non veniat Confessarius: vel si id fieri non potest, debet alium Confessarium adire, cui complex non sit cognitus, vel mutato habitu, & voce seipsum apud Confessarium occultare: quia quando hæc commodè fieri possunt, absque causa infamatur complex.

Vnde audiendus non est in hoc puncto P. Fagundez l. 5. de 2. præcepto Ecclesiæ, cap. 1. num. 3. ubi dicit, non esse præceptum, sed consilium, quod penitens tunc alium Confessarium quærat: pro quo affert P. Suarez, & alios plures. Sed Suarez expresse affirmat, esse obligationem præcepti: nam in presenti disputat. 3. 4. sect. 2. num. 1. sic ait: Si penitens possit vel ei confiteri, qui non cognoscat personam complicis, vel ita confiteri, ut ipse non cognoscatur, vel denique aliâ diligentiam adhibere, ut sine notitia personæ in particulari totum peccatum cum omnibus circumstantiis dicatur, tenetur id facere: & in hoc omnes conueniunt. Idem repetit num. 13. eodem modo loquitur P. Vasquez in presenti quest. 91. art. 2. dub. 3. num. 1. ubi reprehendit Gersonem & Medianam, quod contra omnes alios dixerint, id solum esse materiam consilij. Vnde P. Coninch in presenti disputat. 7. dub. 9. num. 88. dicit, omnes fatentur, teneri penitentiam alteri confiteri integrè, cui ignotus est, si commodè possit. Falsò itaque citantur Doctores pro illa sententia, cum ipsi, vel limitationem illam expresse apponant, vel loquantur absolute, dicentes posse circumstantiam complicis manifestari Confessario, cui notus est; quod intelligi debet, quando alius commodè haberi non potest, quia status ipse questionis hoc supponit, cum questio sit, an possit manifestari complex, quando id necessarium est ad declarandum integrè totum peccatum: quando autem adest alius Confessarius, non est necessarium declarare personam complicis ad confitendum integrè peccatum.

His suppositis, prima sententia docet, in prædicto casu tacendam esse circumstantiam illam, vnde persona complicis cognoscetur. Hanc tenent Marfilus, Armilla, Nauarrus, Viguierius, & alij, quos citat Suarez ubi supra num. 1. eandem tenent Valentia, Villalobos, Ludouicus Lopez, Ioann. de la Cruz, Medina, Bannez, Faber, & alij, quos refert & sequitur Diana 1. tom. tractat. de circumstant. aggrauant. resol. 49. & tom. 2. tractat. 4. de Sacram. resol. 54.

Aliqui ex Auctoribus huius sententiæ limitant illam, ut non procedat in mortis articulo; tunc enim debet illa circumstantia exprimi, licet complex manifestetur. Ita Canus relect. de penitent. 5. part. fol. 113. §. sed enim, & seqq. cui fauent Victoria, Petrus Soto, & Ledesma apud Dianam dista. resolutione 49. Hanc tamen limitationem latè impugnatur Vasquez loco citato, & alij communiter, & merito: quia si extra mortis articulum confessio habet integritatem formalem absque illa circumstantia explicata, eadem integritas formalis sufficit in mortis articulo, in quo certè non magis licebit proximum infamare, quam in vita. Vnde sicut qui ex confessione alicuius peccati timet prudenter sibi, vel alteri graue damnum extrinsecum, potest illud in mortis etiam articulo tacere; sic poterit, ne infamet proximum, si illam infamiam tenetur etiam in vita impedire.

Secunda